



# **Specimen medico-obstetricium inaugurale de parte arte praematurato**

<https://hdl.handle.net/1874/325815>

SPECIMEN MEDICO-OBSTETRICIUM INAUGURALE  
DE  
PARTU ARTE PRAEMATURO.

PHARMACEUTICAL

BY DR. J. C. WATSON

PHARMACEUTICAL

PART II. PHARMACEUTICAL

PHARMACEUTICAL

PHARMACEUTICAL

SPECIMEN MEDICO-OBSTETRICIUM INAUGURALE

DE

PARTU ARTE PRAEMATURO,

QUOD,

FAVENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

BERNARDI FRANCISCI SUERMAN,

MED. DOCT. ET PROF. ORS.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN

MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

ADRIANUS VAN DER KLOES,

Amstelodamensis.

A. D. XVIII M. MARTII A. MDCCCLXVIII, HORA V.



TRAJECTI AD RHENUM,

APUD W. C. SPOOR.

MDCCCLXVIII.

STRENGTHENED BY THE ADDITION OF CABBAGE

# PARTEI ARTE PRÆPARATURO

TAVELER ALMO WISSEL

DE L'ÉCOLE DE MÉDECINE DE PARIS

DE MARSDI PRANNOI SUBMARI

ANALYSE ET REACTIF AU BLENNOGONORRHOÏE

ANALYSE ET REACTIF AU BLENNOGONORRHOÏE

ANALYSE ET REACTIF AU BLENNOGONORRHOÏE

MÉDECINE NORDIQUE À BRUXELLES

DE FACULTÉ MÉDICALE

ADRIANUS VAN DER KLOOS

TIPII MANDAVIT H. J. GIBBEN.

VIRO DOCTISSIMO

JANO JACOBO VAN DER KLOES,

PHILOSOPH. THEOR. MAG. LIT. HUM. DOCT.,

FRATRI CARISSIMO,

Hæc Studiorum Primitias

D. D. D.

AUCTOR.

LIBRARY  
VIRGO-DOCTRINE

FRANCIS CARLETON

FRANCIS CARLETON

FRANCIS CARLETON

## PRAEFATIO.

---

*Accipe, benevole Lector, si quis erit, hoc specimen meum, non gloriae vanae aut scribendi cupiditate collectum, sed lege impositum, quo lauream in Medicina doctoralem consequi possem. En libelli originem; qui lectorem si habeat, hic ne iniquus sit iudex, sed conatui juvenili faveat, et minus idonea minusque congrua dicta indulgenter ignoscat, enixe rogo.*

*Lubenter vero hanc arripio occasionem, ut gratias, quas possum maximas, agam Praeceptoribus aestumatissimis pro egregiis institutionibus et monitis, quibus frui mihi licuit per omne tempus, quod in hac Academia versatus sum.*

*Vobis igitur, Viri Clarissimi Suerman et Loncq, qui duces mihi fuistis et moderatores in aegris curandis, gratum obtestor animum pro egregia vestra institutione pluribusque signis benevolentiae, qua me semper prosecuti estis.*

*Nec tuas obliturus sum unquam lectiones, Vir Clarissime Schroeder van der Kolk, Praeceptor aestumatissime, qui Promotoris munus susceperere non negasti. Accipe, V.*



*Cl., grati animi testimonia. Pergas me eadem humanitate  
prosequi, qua semper a Te me expertum esse gaudeo.*

*Vos omnes, Viri Clarissimi, diu servamini incolumes in  
salutem Academiae, inque Patriae decus!*

*O! utinam dulce illud negotium mihi restaret, mihi que  
liceret etiam gratias agere Viro Clarissimo Joann. Andr.  
Mulder. Eheu! morte praematura Vir praestantissimus  
Academiae, Patriae, Doctrinis ereptus est. Grata mane-  
bit ejus memoria.*

*Vos denique, Amici, valetate et memores vivite nostri!*

DE PARTU ARTE PRAEMATURO.

Faintly visible text at the top of the page.

Second line of faintly visible text.

Third line of faintly visible text.

Fourth line of faintly visible text.

Fifth line of faintly visible text.

Sixth line of faintly visible text.

Seventh line of faintly visible text.

Eighth line of faintly visible text.

Ninth line of faintly visible text.

Tenth line of faintly visible text.

Eleventh line of faintly visible text.

Twelfth line of faintly visible text.

Thirteenth line of faintly visible text.

Fourteenth line of faintly visible text.

Fifteenth line of faintly visible text.

Sixteenth line of faintly visible text.

## DEFINITIO.

Jure ab omnibus, qui de re aliqua disputationem conscribere statuerunt, postulamus, ut constet de sensu, quem attributum velint vocibus, quibus res tractanda designatur.

Quid mirum igitur nos etiam, qui de partu arte praematurato acturi sumus, a definitione ordiri.

Partus autem arte praematurus, partus praematurus artificialis, ea vocatur operatio, qua ante justum graviditatis finem partus dolores arte cientur, ita ut eorum effectum foetus ad vitam degendam aptus in lucem edatur. Haec vero operatio ea de causa instituitur, ut partim, pelvi justo angustiore, maturi infantis partum, qui aut fieri omnino nequeat, aut summa secum ferat pericula, praecaveat, partim, vel normali pelvis conditione, quum morbis gravioribus vita matris, interdum etiam foetus, periclitetur, graviditati terminum imponat.

Partum igitur praematurum commovere ea agendi ratio nominatur, qua natura sine periculo matris ad partum edendum adducitur, eo quidem tempore, quo foetus nondum plane maturus, attamen ad vitam suis ipsius viribus degendam idoneus est.

Distinguenda vero nostra operatio ab illa omnino est, quae partus violentus, partus coactus, (*Accouchement forcé*) vocatur, in qua, propter metrorrhagias non sistendas ex placenta praevia aliave de causa, aut propter eclampsiam vehementem, bona pelvis conditione, (i. e. pelvi bene conformata), non modo uteri orificium arte aperitur, sed etiam foetus quam citissime extrahitur; in qua operatione totus partus artis opera perficitur, foetus sola arte in lucem producitur, et minime vi naturae paullo ante terminum regularem sollicitata.

Discernenda etiam est ab abortu artificiali, quo remediis id efficitur, ut foetus expellatur, nullo ejus vitae respectu habito.

## HISTORIA.

Jam ab antiquissimis inde temporibus plura cognita erant remedia, tam interna quam externa, quibus abortus producebatur: quem in abusum Juvenalis 1) jam et Ovidius 2) vehementer invecti sunt.

Ipse adeo Aëtius »mulieri foetui generando inutili, quae ob negligentiam conceperit, foetum corruptentia» dedit 3).

Jam multa ante secula eo consilio uti solebant instrumentis pungentibus, subulae formam referentibus, quae prioribus graviditatis periodis, ut narrant, per ostium uteri in uteri cavitatem inducebant, quibusque foetum interficere conabantur. Ferunt posterioribus temporibus, in Italia praesertim, meretrices, ut hoc scelus patrarent, acubus crinalibus usus esse 4). Qui auctor apud Norvegicas quoque mulieres eandem consuetudinem obtinuisse ait.

Illis igitur temporibus jam cognitum fuisse videtur,

1) Satyr. VI.

2) Amor. Lib. II. Eleg. XIV.

3) Aëtii Amideni de re medica Lib. III. Cap. XVIII.

4) P. Scheel, de liquoris amnii natura et usu. 1799. p. 74.

subitanam velamentorum rupturam aquarumque emanationem uteri contractionem excitare; licet postea demum Guillemeau, et inprimis Mauriceau et Puzos docuerint, quomodo uteri ostium arte dilatari possit, quaeque deinceps instituenda sit ad ovi rumpenda velamenta operatio, efficacissima illa ad dolores ad partum excitandos, qua ipsi in haemorrhagiis periculo plenis, partu incipiente et durante, cum felici eventu usi sunt.

Quapropter mirandum, ait Kilian 1), quum operatio nostra singulis suis partibus diu jam cognita fuerit et multa experientia confirmata, nulli tamen summae laudis obstetricatorum in mentem venisse membra disjecta in unum conjungere et conatus, quos saepius, heu! admissum flagitium abortus producendi tam clare indicaret, in hominum salutem convertere. Quod eo magis miramur, quoniam inter alia hoc etiam extra dubium positum est, foetus intra trigesimam et trigesimam sextam hebdomadem minoris voluminis esse quam maturos eosque foetus labore non magno vivos servari posse.

Exeunte seculo praecedenti ut sectionis caesareae et perforationis operationibus praecaveret, William Cooper, Anglus chirurgus, quaestionem movit, nonne in iis casibus, in quibus manifestum est maturum foetum solita via vivum nasci non posse, liceat arte abortum elicere.

Eam autem quaestionem Cooper proposuit, quum adfuisset sectioni caesareae, quam chirurgus, Thompson nomine, instituerat, quamque et matris et infantis mors erat insecuta. Pelvis scilicet parturientis valde

1) Operationslehre für Geburtshelfer. 2<sup>e</sup> Aufl. p. 256.

erat angustata et deformis: haemorrhagia mortua est, infantique cerebri vitium erat 1).

Videtur tamen a Coopero haec quaestio eo tantum consilio mota fuisse, ut mater periculosa operatione liberaretur, respectu non habito foetus vitae, neque temporis, quo vitalis is dici queat. Quam maxime ob causam eos errare censeo, qui Cooperum summis laudibus efferre non dubitarunt, ac si primus ille praematurum partum proposuerit artificialem, aliorumque animos eo adverterit. Et revera neglexit Cooperus, in quo Angli, paucis exceptis, omnes fere cum eo peccarunt, id quod omnino pulcherrimum est et valde praestans, foetus quoque vitam servare.

Deinceps nonnulli Scheelium partus arte praematuri auctorem habuerunt, verum in eo etiam lapsi mihi videntur, propterea quod artificialem abortum et partum arte praematurum non satis inter se distinxerunt. Scheelius, quaestione a Coopero mota iterum proposita, addit tamen: »pelvi tam ampla, ut foetum adhuc transire sinat, ubi jam vitalis esse incipit, abortus ad eum usque terminum deferendus est 2).»

Chailly narrat, secundum nonnullos auctores, jam a°. 1738, obstetricem nomine Marie Dunally, in Anglia, partum arte praematurum excitasse 3).

Quidquid est, legimus a°. 1756 Londini 4) coetum habitum fuisse, quo celeberrimi Angliae medici convenerunt, ibique hanc actam esse quaestionem, quoad

1) Osiander, Handb. der Entbindungsk. 2<sup>e</sup> Aufl. Bd. II. p. 610.

2) l. c. p. 75.

3) Chailly, Traité pratique des Accouch. p. 220. 2<sup>e</sup> Edit. Paris 1845.

Cf. etiam Cazeaux, Traité théor. et pratiq. d. Accouch. p. 562.

4) Naegele, Lehrb. d. Geburtsh. Th. II. p. 182.



ex moralis philosophiae praeceptis liceat partum arte praematurum elicere, quidque inde damni aut utilitatis tam matri, quam infanti necesse oriatur, foetu vitali jam facto, i. e. post septimum graviditatis mensem.

Et vero operatio eruditis probata est. Imo eodem etiam anno primus eam Macaully medicus instituit, felicissimo cum eventu matri non minus quam infanti. Paulo post eum Kelly ter partum arte praematurum expertus est, eo successu, ut trium infantum duo vivi nascerentur.

Ab eo inde tempore operatio nostra in Anglia omnium approbationem tulit et magnis efferebatur laudibus.

Denman, John Hull, John Barlow, S. Merri-man, Headly, James Barlow, John Marshall, John Ramsbotham, James Hamilton, Francis H. Ramsbotham multique alii eam adhibuerunt, hic meliore, ille minus bono eventu 1).

In Germania, ut fertur, paucis annis post Franc. Ant. Mai, inscius eorum, quae in Anglia acciderant, eandem sententiam magis elaboratam et expolitam proposuit. Wenzelium vero primum in Germania operationem instituisse a<sup>o</sup>. 1804 et deinceps a<sup>o</sup>. 1808 et 1817, auctores sunt Naegele 2) et Kilian 3).

Eum secuti sunt Kraus, El. von Siebold, Schilling, d'Oùtrepont, Kluge, Riecke, Carus, etc.

---

1) Kilian, Operationslehre. p. 259.

2) l. c. Th. II. p. 183.

3) l. c. p. 260.

Ex Batavis memorandi sunt Themmen 1), Salomon 2), Vrolik 3) et Wellenbergh 4).

In Italia Ferrario et Bongiovanni 5).

In Gallia Roussel de Vauzesme 6) primus operationem proposuit, a°. 1779; ille vero, re promulgata, vix audiebatur. Inprimis ei adversatus est Baudelocque, discipulorum turba sequente. Fodéré tamen saepius operationem institui jussit. At primus in Gallia ejus periculum fecit a°. 1831 Stoltz, Argentorati, et felici quidem cum eventu. Tum vero praejudicatae opinioniones sensim evanuerunt, licet satis constet numerum partuum arte praematurorum ad hunc usque diem valde esse exiguum.

Veruntamen, etiamsi boni hujus operationis exitus valde essent manifesti, plures tamen fuerunt, qui eam non minus ex medicae artis principiis, quam ex honesti praeceptis vehementissime reprehenderent.

In his inter Germanos inprimis nominandi Bernstein, Osiander, Stein, Jörg, alii, quorum pars tamen deinde sententiam mutarunt.

In Gallia prae ceteris in eam invectus est Baudelocque, cujus inprimis vituperationes nos hic refellere

---

1) Nieuwe Verhandelingen van het Genootschap: ter bevordering der Heelkunde, te Amsterdam. Dl. IV. 1<sup>e</sup> stuk 1825. p. 142—167.

2) Geneesk. Bijdragen door Pruys v. d. Hoeven, enz. Delft 1825. 1<sup>e</sup> stuk. p. 1.

3) Nieuwe Verhand. v. h. Genootsch. etc. 1. c. Dl. IV. 1<sup>e</sup> stuk p. 168—177.

v. Siebold, Journal. Bd. VII. p. 30.

4) Verh. over eenen Pelvimeter. 's Hage 1831.

5) Kilian, l. c. p. 261. Chailly, l. c. p. 222.

6) Chailly, ibid.

conabimur. Merito enim ille pro omnibus locutus esse habetur, quippe qui cunctorum omnino invectiones unus collegerit, acerrimusque eorum orator exstiterit.

Primum igitur Baudelocque dicit 1) plerasque mulieres tempus, quo conceperint, accurate indicare non posse, atque sic ne verum quidem partus tempus posse constitui. Quid igitur? Si ante justum tempus operationem institueris, foetum eduxeris mortuum; si sero, foetus volumine pelvis magnitudinem jam excedente, nullum, nisi perforationis aut sectionis caesareae refugium reliquum habueris.

At plerumque partus arte praematurus elicitur in iis, quae jam ante magno cum labore et periculo ob pelvim angustam partus tantum ediderunt mortuos, eaeque feminae, si parva solum est vivi infantis pariendi spes, diligentissime ad graviditatis cursum animum advertunt, omniaque intendunt, ut accuratius definire possent, quo tempore partum sint editurae. Inprimis vero obstetricatoris est, accurata exploratione tam interna quam externa inquirere, quo in stadio gravida versetur. Verum concedamus jam, aliquot dierum errorem in graviditatis stadio definiendo evitari vix posse; num discrimini tam parvo ea vis est tribuenda, ut rem illius momenti plane rejiciamus? Dixerit fortasse quispiam: »At si ante justum tempus partum elicueris, foetum necaveris." Quod qui dicat, teneat omnino, operationem non nisi factis, quas praescripsimus, explorationibus suscipiendam esse, eamque eo maxime consilio institui, ut deinceps evitetur perforatio, quam haud dubie partus mortuus secutus fuisset.

---

1) Baudelocque, Verloskunde, vertaald door A. Soek. Dordr. 1791. Dl. IV. 2<sup>e</sup> st. p. 41. seq.

Deinde idem ait auctor: »infantes, aut dum fit operatio, aut paullo post, morituri sunt.»

Quod etiamsi concesserimus, licet experientia contraria plane doceat, operatio tamen nostra magnopere est laudanda, quia tum solum instituitur, quando certe scimus feminam plane esse imparem, quae vivum foetum naturali tempore pariat. At si statisticarum tabularum rationem habere velimus, statim apparet auctorem a vero aberrasse. Ex iis enim videmus, 161 partibus arte praematuris institutis, 46 tantum foetus mortuos esse eductos, atque ex iis, qui vivi essent editi, crescente aetate, 73 bona valetudine utentes fuisse superstites 1).

Ex iis, quae Stoltz collegit, patet in 196 operationibus, quas vel major vel minor pelvis angustatio exigebat, ex hac illave methodo institutis, 125 vivos, 71 mortuos natos esse 2).

Lacoive a<sup>o</sup>. 1844, 250 casus collegit, in quibus infantes altera parte plures vivi sunt nati, et mater tantum sexta decima succubuit 3).

Barlow in 18 casibus partum praematurum elicuit, et in iis 12 foetus vivi sunt editi. Denman operationem duodecies instituit, et septies foetus vita servata est. Merrimanno in 10 casibus quater favit fortuna 4).

---

1) Kilian, die Geburtslehre von Seiten der Wissenschaft und Kunst dargestellt. Frankfurt 1840. Th. II. p. 109.

2) Stoltz, Mémoire et Observations sur la provocation de l'Accouchement praematuré dans le cas de rétrécissement du bassin. p. 61.

3) Cazcaux, l. c. p. 564.

4) Hamilton, Practische Bemerkungen über verschiedene geburtsh. Gegenstände. a. d. Engl. Berlin 1838. p. 156.

Porro objicitur, operandi methodos, quas adhibere nobis licet, et imprimis punctionem velamentorum incerto esse eventu, et hanc imprimis saepe abnormes foetus positiones efficere, ideoque saepe multas foetui obnoxias operationes, v. c. versionem postulare.

Lubenter crediderimus multas abnormes foetus positiones, quas in Anglia imprimis plures, alibi pauciores observaverunt, effici posse effluxu liquoris amnii, atque ex ea, quae inde existat, abnormi uteri configuratione. Atqui hoc conjecturae fines non excedit, quum in Germania, ubi, Anglia excepta, plurimi partus praematuri instituti sunt, nunquam fere sit observatum. Imo facillime abnormes hae positiones praeveniri possunt, dummodo abstineas ab velamentorum punctione: quum aliae sint laude dignae methodi, quae partum praematurum excitent, quibus ovi velamenta ne minimo quidem damno afficiuntur. Quod ad abnormes positiones attinet, Hamilton narrat in 57 casibus quater tantum clunes et semel humeros praejacuisse. Et, ait, si semper hujusmodi pars praejaceret, quae versionem praescriberet, hoc etiam partum arte praematurum nobis commendaret: quis enim dubitet, utrum facilius sit sex ponderum foetum vertere, an qui septem valeat 1).

Fuere porro, qui objicerent, quamvis multa nobis sint ad explorandum instrumenta, tam difficile esse accurate pelvis amplitudinem definire, ut ne expertissimus quidem semper in ea constituenda liberum se ab errore profiteri audeat.

Haec quibus objectio maximi est momenti, attamen talis non est, quae operationem nostram penitus rejiciat.

---

1) Hamilton, l. c. p. 159.

Damus omnino adversariis, licet experimenta probent, quid accurata exploratione profici possit 1), non semper pelvis angustationem ita definiri posse, ut ne duae vel tres linearum numero desint; at vero majores angustationes facile dignoscuntur. His autem solis partum arte praematurum indicantibus, ab hac parte non facile peccaverimus. At ponamus operationem institutam fuisse, pelvi paullo majorem quam  $3\frac{1}{4}$  poll. Paris. conjugatam habente, (in pelvibus enim plane normalibus errari non potest), quis pro certo affirmet partum in tali angustatione, naturali tempore editum, non periculis pleniorum futurum fuisse, forcipe adhibita. Tum profecto majora damna tam matri quam infanti exstitissent. Gravius vero peccat, qui, conjugata magnitudinem  $2\frac{3}{4}$  poll. non excedente, partum praematurum instituit; tum enim ne septem mensium quidem foetus educi potest, et insuper ad perforationem, ne dum graviora, confugiendum erit. Credimus tamen hujusmodi angustationem diligentem exploratorem latere non posse.

At plura etiam contra partum arte praematurum obtretractores moverunt. Dicunt foetus volumen definiri non posse.

Cui vero dubio quam parum auctoritatis est tribuendum? In iis tantum casibus, in quibus abnormales rationes adsunt, falleremur et foetum exspectatione majorem inveniemus. Quamquam sic naturali partus tempore difficultas eo major est. Inprimis Wenzel eos, qui hoc argumento utentes partum arte praematurum improbant, refutatus est, dicens, volumen quidem foetus

---

4) Wellenberg, verhandeling over een' Pelvimeter. 's Hage 1831.  
Kilian, Operationslehre, p. 90 seq.

pro certo indicari non posse, proxime vero ad verum accedi in voluminis gradu et foetus magnitudine constituendis justo operationis tempore, dummodo ratio habeatur eorum, quae in praecedentibus infelicis eventus partibus acciderint, non minus quam externae uteri formae et constitutionis, majorum minorumve foetus motuum, et praejacentis partis magnitudinis. Praeterea foetuum septem vel octo mensium crania magis comprimere possunt; fonticuli majores sunt et suturae nondum valide conjunctae, ita ut ossa facilius sibi imponantur.

Objecerunt insuper, nos, femina gemellos editura, dignoscendo saepe falli; et addunt »in hujusmodi graviditate operationem qui instituerit, errorem commiserit.»

Respondemus, multos esse casus, in quibus gemellorum graviditatem dignoscere liceat, eamque contraindicationis vim non habere. Gemelli enim minus robusti esse solent, et idcirco eo facilius pelvim transibunt.

At, sic denique adversarii loquuntur, »partus praematuri operatione portio vaginalis, vesica urinaria, denique foetus ipse facile laeditur.»

Omni vero operatione obstetricator adjacentes partes laedere potest, quod ne faciat, sedulo ei cavendum est.

Postremo objicitur, feminas pelvi angustata, morbis inde ortis, saepe ita viribus debilitatas esse, ut partum arte praematurum non nisi magno cum periculo pati possint; deinde secundinas impediri, quibus impeditis, magna damna et vehementes haemorrhagiae oriri solent; porro inde acerrimos morbos sequi, et molestissimum puerperium non evitari; denique scirrhum et carcinoma uteri oriri.

At operationis nostrae eventus recensentes, videmus

in omnibus fere casibus, ubi feminas servatas scribunt auctores, secundinas sine ulla magna difficultate editas esse.

Idcirco assentimur Kiliano dicenti: »dass bei der »Schilderung der Gefahren dieses neuen und kühnen »Mittels, die Männer vom Fach mehr das durch die »Theorie, als möglich Annehmbare, mehr ihre eigenen ängstlichen Ansichten zu Rathe zogen, als das »durch die Praxis Erkannte und durch die längst bekänten Thatsachen vielfältig Bestätigte, denn sonst »hätten sie es unmöglich vergessen können, bei ihren »befangenen Aussprüchen das Factum in Anschlag zu »bringen, dass Frühgeburten nicht selten freiwillig »und ohne alle Störung für das Uterinleben in solchen »Fällen erfolgen, wo schwere Krankheiten den ganzen »Organismus erschüttern 1).»

Verum exstiterunt quoque nonnulli, qui operationem nostram condemnarent, quasi cum honesti pugnaret praeceptis. Dicebant enim partum arte praematurum elicitum, si per vulgus enotuisset, plures esse se ducturum, ut levius peccatum graviore facinore tegere conarentur.

In his Neumann imprimis, acrius omnino quam fas est, eum aggreditur. Liceat autem nobis illius verba, quantum opus est, hic describere 2):

»Lehrt nur, ihr Herren Aerzte, allen unvorsichtigen Mädchen, allen alten Kupplerinnen, allen unnatürlichen Müttern, die die Beschwerden der Kinder-

1) Operationslehre p. 265 et 266.

2) Neumann, Ein Paar Worte über die künstl. Frühgebur, in v. Siebold, Journal f. Geburtsh. Bd. XIII. 2<sup>e</sup> st. 1833. p. 261 seq.



»erziehung scheuen, das Geheimniss, wie sie die Frucht  
»heimlicher Liebe los werden können, ohne von den  
»Gesetzen in Anspruch genommen zu werden, ohne  
»unmittelbare Lebensgefahr für sich selbst, ohne dass  
»irgend jemand sie des Kindermords, ja nur einer statt-  
»gefundenen Schwangerschaft bezüchtigen könne, und  
»ihr werdet die Folgen sehen! Erbebt ihr nicht vor  
»dem Gedanken, dass ihr schuld seyd an zahllosen Ver-  
»brechen? an der moralischen Entwürdigung des Ge-  
»schlechts, dem ihr in seiner heiligsten Bestimmung  
»beistehen sollt, aber sie in Aufruf zum Mord und  
»zum Beladen des Gewissens mit unvergänglichem Vor-  
»wurf verwandelt? Es giebt Wahrheiten, die man ver-  
»bergen muss, weil ihr Missbrauch leicht und verder-  
»blich ist; keine unter allen aber kann leichter und  
»fürchterlicher gemissbraucht werden, als die, die ihr  
»zur Kenntniss von Menschen bringt, die sehr leicht  
»hohes Interesse haben können, sie zu missbrauchen.  
»Wie kann man sich einbilden, das einen Fortschritt  
»der heilenden Kunst, eine Bereicherung derselben mit  
»einem neuen Rettungsverfahren zu nennen, was gegen  
»Ein erhaltenes Leben Millionen von Keimen Lebendiger  
»verderben, und mehr als alles das sittliche Gefühl, die  
»sittliche Würde der Hälfte der Menschheit erschüttern  
»kann? Was soll man nun sagen, wenn die Hebärzte  
»selbst ein Verfahren zur allgemeinen Kenntniss bringen,  
»durch welches jedes Mädchen, gleich nachdem sie ge-  
»wiss ist, schwanger zu seyn, sich von der Frucht be-  
»freyen kann, die die weckende Natur in ihrem Schosse  
»bildet? Wenn wenigstens jedes alte Weib, der sie ihre  
»Verlegenheit vertraut, sie mit einer Stecknadel ohne  
»Umstände entledigen kann, und die Heilkünstler sich

»vorwerfen müssen, dies alte Weib in dieser fürchterlichen Kunst unterrichtet zu haben? In welche schreckliche Versuchung führt nicht diese unbesonnene Bekanntmachung des gefährlichen Geheimnisses jede heimlich Schwangere? Sie kann ihre Ehre vor der Welt, ihren Ruf, so leicht retten, sich von den Vorwürfen der Ihrigen, von dem Spott ihrer Bekannten, von der Last der Schwangerschaft, von der Beschwerde der Erziehung des Kindes befreyen, entgehen allen den Unannehmlichkeiten, die der ungesetzliche Mutterstand für sie hat, ohne Gefahr für ihr Leben, ohne Furcht vor Strafe, blos indem sie ihr Gewissen befleckt. — Wenn sie das Verbrechen begeht, zu dem sie so Vieles auffordert, selbst der Rest der Scham, selbst das, was der weiblichen Natur als das Edelste und Heiligste gegeben ward, sind nicht die tausendmal strafbarer, die verschuldeten, dass sie das lebenszerstörende Geheimniß verfuhr, als sie selbst ist, wenn sie es anwendet? Sind nicht jene schuld, wenn sie nun, einmal besudelt mit Verbrechen, immer tiefer sinkt? — Und wenn in den Hütten der Armen die Gattinnen eine unwillkommene Fruchtbarkeit haben, die mit den Mitteln zur Erhaltung der immer zahlreicher anwachsenden Familie nicht im Verhältniß steht, und der rohe Mann, der vielleicht bei jeder neuen Schwangerschaft seines Weibes schimpft und tobt, durch die Unvorsichtigkeit der Geburtshelfer ein Mittel kennen lernt, wie er dieser Fruchtbarkeit ein Ende machen kann; wird nicht auch dieser dadurch zum Verbrechen gereizt? Muss folglich nicht der sittliche Werth ganzer Nationen sinken, wenn man thöricht genug ist, dergleichen Geheimnisse auf den Dächern zu predigen, die man aufs dichteste verschleyern sollte.“

Quis vero, hisce lectis, non libenter nobiscum fecerit, dicentibus viri metum omnem modum excedere? Cur enim leges, poena in caedem, quam femina in infantem committit, praescripta, hunc procurandi abortus modum intactum relinquerent; cur foeticidium et graviditatis impeditae et sublatae crimen puniri non posset? Imo vero in hujusmodi casu femina crimine pervinci posset multo facilius, quam si internis medicamentis conata esset abortum sibi procurare. Tenendum est porro, abortiva remedia jam magis, quam sat est, vulgo innotuisse, mulieresque omnis honesti sensus expertes, valetudine adeo neglecta, ea saepissime adhibere. Quod quum, eheu! nimis verum sit, quid medicus sibi timuerit atque dubitaverit eorum numerum uno alterove augere, si quidem nostra operatio digna censenda sit, quae tam infami nota prematur? Profecto quae hoc crimen patrare voluerit, illi sat remediorum praesto erit! Praeterea partus arte praematurus non quotidie adhibetur, unde non facile operatio ubique pervulgata dici potest; illius indicationes non nisi perquam raro occurrunt, ejusque igitur scientia semper est medici. Denique Neumannus videtur non attendere voluisse, hoc remedium abortus procurandi jam apud Veteres fuisse cognitum, et in Italia non solum, verum etiam in Gallia passim ut abortivum adhibitum. Solebant enim inducere in uterum acum vel aliud instrumentum pungens, quo ovi velamenta aperirent, et hoc quidem fecerunt diu, antequam obstetricator velamenta aperienda ad partum arte praematurum ducentia habuit, eamque operationem arte sua recepit. Interea hoc facinus committere iis, qui nullam in obstetricia operandi peritiam adepti sunt, ita difficile est, ut vix

unquam spem boni eventus possit fovere. Etiam si, quod propositum est, foetui noceant, tamen ex regula hosce conatus sequitur uteri laesio, quaeque inde oritur haemorrhagia, atque illa non minus quam dolor et spasmi, absterret a facinore perficiendo. Si quidem unquam mulier sine damno potuerit hoc modo abortum sibi procurare, revera tamen fortuitus casus fuerit dicendus, quum imprimis accurata positionis et internorum genitalium directionis cognitio requiritur, si quis sine damno inducere velit instrumentum in ostium uteri, perque uteri collum ad ovi velamenta. Natura autem saepissime vindex sibi existit et punire solet eam, quam non pudet hujusmodi remedia adhibere, ita ut damna, quae crimen insequuntur, manifestiora omnino sint ejus indicia.

Metus itaque Neumanni rationibus, quibus confirmatur, caret. Et quod ad medicum, qui talis sceleris adiutorem et socium sese audeat praebere, de eo audiamus Reisinger: »Kriminelle Missbräuche der Operation zur künstlichen Frühgeburt wären also vorzüglich nur von unmoralischen Kunstverständigen zu fürchten, die von dieser Operation Kunde haben müssen, doch an solche Verirrungen der Kunst wage ich gar nicht zu denken, denn nur den Gedanken kann man fassen, dass der Künstler Gifte in Heilmittel umwandle 1).»

1) Reisinger, Die künstl. Frühgeburt. Augsb. und Leipz. 1820.

## INDICATIONES.

Ex definitione supra proposita patet, partum arte praematurum institui partim in pelvi justo angustiori, partim in ea, quae normalis est, quum matris vita periclitatur morbis, finem graviditati imponere jubentibus; adhibetur porro nonnunquam etiam ad vitam foetus servandam. Sequitur ex hisce duas praesertim species dari indicationum, quarum hac pelvis angustatione, illae conditionibus gravidæ morboris indicantur.

Pelvis angustationis species est praecipua, quapropter prior in censum venit; itaque jam nobis respondendum erit quaestioni, quo demum pelvis coarctationis gradu ad partum arte praematurum sit confugiendum?

In praxi vero obstetricia tres distinguendi sunt pelvis angustationis gradus.

I. Et primum quidem coarctationis gradum illum dicimus, quo praeter naturae legem pelvis conjugata usque ad 3 poll. est diminuta. Hic autem duo obtinere possunt 1).

a.) In pelvi angustata, cujus conjugata mensuram  $3\frac{1}{2}$

1) Cf. Hofman, in N. Zeitschr. d. Geburtsk. Th. XIV. p. 411.

poll. habet, non plane desperandum est, fore ut ipsa Natura rem absolvat, sine ullo artis auxilio. Et revera experientia docuit in pelvi rachitica, cujus conjugata  $3\frac{1}{2}$  poll. mensuram non excedit, partum Natura sola perfici, nempe evolutione valida dolorum ad partum. In iis igitur casibus, in quibus caput cum difficultate pelvis introitum transit, et partus molestus praevидetur, praestat rem Naturae relinquere, atque exspectare donec uteri activitate, quae insuper augeri potest remediis aptis, v. g. positione parturientis idonea aliisque, caput in introitu pelvis incuneatum teneatur; quod ubi successerit, caput forcipis applicatione per locum angustatum trahi poterit. Et quum vero eo in pelvis coarctationis gradu nobis sperare liceat, aut Naturam partum absoluturam esse, aut forcipis applicationem sufficere, manifestum est, partum arte praematurum non esse indicatum.

b.) Longe vero aliud quid accidit, quando conjugata et minor est et a  $3\frac{1}{2}$  poll. usque ad 3 poll. diminuta. Tum enim capiti multo difficilius est pelvim transire. Attamen nonnunquam, quamvis magnis cum molestiis, fieri hoc potest, quum scilicet volumen cranii infantis solito minus est. Capite vero normali volumine praedito, forceps non amplius sufficit, atque perforatio in censum venire debet; partus enim non nisi capitis diminutione terminari potest, unde infantis mors sequatur, necesse est.

Tum igitur partus arte praematurus perforationis vicibus fungetur, ideoque hoc demum coarctationis gradu de partu arte praematurato sermo esse poterit.

II. Altero autem gradu pelvis angustationis conjugata

3 poll. non excedit, et descendit usque ad  $2\frac{1}{2}$  poll. Pelvim sic angustatam maturus foetus nullo modo vivus transire potest. Si conjugata minor est quam 3 poll., v. c.  $2\frac{3}{4}$  poll., tum etiam fieri potest, etsi magna cum difficultate, ut infans non maturus, sed vitalis, transeat; sed spe plane destituimur, conjugata  $2\frac{3}{4}$  poll. minore, et  $2\frac{1}{2}$  poll. mensuram habente. Ubi vero conjugata descendit infra  $2\frac{3}{4}$  poll., partus arte praematurus non amplius institui potest; tum solum ad perforationem et interdum ad sectionem caesaream confugiendum erit.

III. Tertio demum gradu pelvis coarctatae conjugata  $2\frac{1}{2}$  poll. et minus etiam valet. Tum omnino infans ne perforatione quidem mutilatus nasci poterit, et sectio caesarea unum est, quod indicetur, remedium.

Ex his autem, quos diximus, coarctationis gradibus concludere possumus, qua tandem in pelvis conditione liceat partum arte praematurum instituere, quibus vero in casibus operatio nostra contraindicetur.

Pelvis igitur conjugata, quae indicet partum praematurum artificialem, non multo minor quam 3 poll., atque non major quam  $3\frac{1}{2}$  poll. mensura esse debet; quae quidem mensura universe congruit cum capitis evolutione eo tempore, quo operatio instituenda erit 1).

Quoniam, inquit Naegele 2), pro certo constat, foetum ex lege non ante trigesimam hebdomadam vitam a matre separatam continuare posse, et circa hoc tempus diametrum transversum capitis circiter  $2\frac{1}{4}$  poll.

1) v. Siebold, Lehrb. d. Geburtsh. Berlin. 1841. p. 447.

2) l. c. Th. II. p. 191.

tenere, hic ultimus erit terminus partus arte praematuri instituendi in pelvi angustata, cujus conjugata  $2\frac{3}{4}$ , ad plurimum  $2\frac{1}{2}$  poll. habet dimensionem. Addit idem, quum diameter transversus capitis infantis maturi in genere  $3\frac{1}{2}$  poll. continet, etiamsi conjugata pelvis  $3\frac{1}{4}$  poll. non excedat, tum etiam partum arte praematurum institui posse. Angustatione minori, v. c. conjugata  $3\frac{1}{2}$  poll. habente, solummodo licet partum praematurum artificialem adhibere, quando satis firmis argumentis conijcimus foetum justo majoris voluminis, aut experientia partuum antecedentium probaverit partum infantis maturi vivi locum habere non posse 1).

Quod vero in Anglia Hull, John Barlow, Burns aliique 2), in Germania Ritgen et Mende 3) vulerunt partum arte praematurum institui etiam infra  $2\frac{1}{2}$  poll. in conjugata, aliique etiam hanc operationem adhibendam esse censuerunt in conjugata majori quam  $3\frac{1}{2}$  poll., videntur nobis errores, in quos delapsi sunt, excusandi, attendentibus omnino viros illos vixisse, quo tempore operationis nostrae indicationes non tam distincte erant determinatae, quam hodie; sed contra admodum incertae et variae indicatae.

Quod autem attinet ad quaestionem, quid faciendum sit, si majores tumores atque exostoses adsint in pelvi,

1) Naegle, l. c. Th. II. p. 192.

2) Medical and Physical Journal. T. 9. p. 403.

3) Ritgen, die Anzeigen der mechan. Hülfen bei Entbindungen, n. s. w. 1820. p. 342.

Mende, Beiträge etc. Bd. I.



ejusque angustationem efficiant, respondemus tum omnino diagnosis esse difficilem, uti et indicationem. Multum enim hic facit gradus compressibilitatis tumoris, quamquam vulgo observatur in prioribus periodis graviditatis abortum aut interdum sterilitatem inde oriri.

Verum haec de pelvis coarctatione sufficiant.

Transeamus nunc ad alteram speciem indicationum, quippe quae indicent partum arte praematurum ex morborum gravidae conditionibus. Quae indicationes, licet recentiori demum tempore caeteris additae sint, tamen non parum attulerunt ad operationis pretium augendum firmandumque.

Quoniam vero plures ab auctoribus recensentur, nobis sufficiat eas, quae majoris momenti videntur, pertractare; reliquas verbo tantum commemorabimus.

Jure enim Kilian dicit: »der Augenblick der Geburt allein muss den Entschluss hervorrufen 1).“

a.) Metrorrhagiae gravidarum.

Non omnem metrorrhagiam huc in censum venire posse ad partum arte praematurum instituendum, facile quisque viderit: reprehensionem enim evitare nequit, qui operationem instituerit in metrorrhagiis minoris vehementiae et periculi, quas ad sistendas satis valere solent remedia pharmaceutica, dummodo vitae conditiones, quibus grvida utitur, bene diligenterque regantur. Deinde monemus operationem instituendam non esse, ubi metrorrhagia vehementior est et periculo plena; tum enim

1) Operationslehre p. 281.

remedium nimis tardum erit, quum duo omnino dies evadere possunt, anteaquam nobis contingat dolores ad partum provocare; quo temporis spatio quis affirmet et matris et infantis vitam non extinctum iri? Sic igitur praestiterit partum vi coactum adhibere.

Verum licet neque in hoc, neque in illo casu de partu arte praematurato sermo esse possit, datur tamen nobis viam ingredi, quae in medio sita revera est dicenda. Scilicet in eo consenserunt Reisinger 1), Carus 2), Busch 3) aliique, plerumque in graviditate, ubi placenta praevia datur, solutione partiali placentae metrorrhagias oriri non valde vehementes, at vero eo, quod saepius redeant, tam matri quam foetui funestas: contra quas, tamquam optimum et efficacissimum auxilium, partum praematurum artificialem indicarunt.

b.) Eclampsia durante graviditate.

Carus 4), Busch 5), Velp eau 6) aliique eclampsiam postremis graviditatis mensibus etiam pro indicatione partus arte praematuri habuerunt.

Satis notum est, eclampsiam paroxysmis cito redeuntibus vitam gravidae minitari et saepius exitum lethalem afferre. In eo igitur consentiunt obstetricatores, partum absolvendo saepe remedium praebere, quo vis hujus morbi sedetur.

Quod si jam vehemens et periculosa eclampsia inter-

1) l. c. p. 248.

2) Gynaccologic. Bd. II. p. 218. 3<sup>e</sup> Aufl.

3) Lehrb. d. Geburtsk. p. 396. 3<sup>e</sup> Aufl.

4) l. c. Bd. II. p. 199.

5) l. c. p. 137<sup>1</sup>.

6) Traité complet de l'Art des Accouch. 2<sup>e</sup> Edit. Paris 1835. p. 152.

venerit, eaque magis magisque urgens, infaustam prognosin prae se tulerit, nullis medicaminibus juvantibus, ostio uterino clauso aut pro parte dilatato, partus arte praematurus parum juvabit; nimium enim temporis praeterlabitur anteaquam ostium sese aperiatur, et dolores ad partum satis validi accedant, quibus foetus expellatur. Tam acuto in casu partus vi coactus solum profecto erit refugium.

Eclampsia vero minus vehementi, paroxysmis cura adhibita diminutis, Naturae res relinquenda est.

Quidquid est, nos neque dijudicare neque discernere audemus, quoad eclampsia pro partu arte praematuri indicatione habenda sit. Universe hac de re eruditi inter se non conveniunt. Sufficiat in indicationibus recensendis illius mentionem fecisse; addimus tamen, hunc morbum qua talem etiam a La Motte, Hamilton, Dubois, Dugès, Copland 1) aliisque esse propositum, atque in eo partum praematurum a nonnullis eorum bono cum eventu, matre et infante servatis, esse institutum.

Indicabant enim eclampsiam, quae nulla cura therapeutica diminuebatur, partu vi coacto saepe admodum augeri, quamobrem maluerunt foetum expelli doloribus ad partum, arte provocatis 2).

c.) In vomitu vehementissimo, nulli medicamini cedente, Merriman, Haighton, d'Outrepoint, Lobstein et praesertim Davis 3) indicationem nostrae adhibendae operationis invenerunt. Qua de re Merriman

1) Canstatt, Handb. d. medicin. Klinik. 2<sup>e</sup> Aufl. Erlang. 1843. Bd. III. Abth. I. p. 397.

2) Chailly, l. c. p. 224 et p. 420.

3) Kilian, Operationslehre. p. 283.

narrat haec 1). Gravidae feminae tussi vehementissima molestissimaque laboranti, ventriculus erat ita irritatus, ut omne nutrimentum atque etiam Opium, solida forma, evomeret. Sine ullo levamine ei administrata fuerant Absorbentia, Stomachica, Aromatica, Amara et Opiata. Linimenta, Fomentationes, Vesicantia in usum vocabantur, omnia vero frustra; mors imminabat, quum obstetricator sex hebdomades ante solitum graviditatis terminum, tamquam unicum auxilium, exploraret partum arte praematurum, atque per eum matrem et infantem servaret.

Difficile est determinare, quibus in ejus generis casibus operatio instituenda sit.

d.) In casu hydropis El. von Siebold, Carus et Duclos operationem instituerunt 2).

Von Siebold partum arte praematurum provocavit in femina hydropica, ad finem mensis octavi, asphyxia imminente. Infans servabatur; conditio vero matris quidem emendabatur, sed die undecimo mortua est 3).

Duclos 4) in femina hydrope amnii acuto laborante, ubi etiam periculum erat asphyxiae, artificialem praematurum partum adhibuit.

Quomodo vero hydrops amnii certe sit dignoscendus, nos latet. Si contra dignosci potest revera quantitatem justo majorem liquoris amnii adesse, eoque vitam matris periclitari, quod tamen non nisi rarissime obvium

---

1) Medico-chirurgic. Transactions. Tom. VIII p. 139.

2) Kilian, Operationslehre. p. 284.

3) v. Siebold, Journal. Bd. IV. p. 311.

4) Bulletin de la faculté de medic. de Paris. 1818. p. 222.

sit futurum, methodus Meissneri, de qua infra sumus dicturi, prae omnibus aliis prodesse poterit.

e.) D'Outrepont casum memorat strumae paulatim accrescentis et asthma vitae admodum periculosum inducentis, quamobrem partum praematurum instituere decrevit 1).

f.) Costa proposuit partum arte praematurum in aneurysmate cordis 2).

g.) In femina, quae graviditate durante nephritidem contraxerat, Meissner eventu felici tam matri quam infanti operationem instituit 3). Pressione enim uteri gravidi et peritonaei tensione necesse inflammatio renum manere debebat. Nono mense ineunte, partus praematurus instituebatur. Causa sublata tollebatur effectus.

h.) In uteri gravidi retroversione W. Hunter operationem indicatam judicabat 4). Attamen non constat retroversionem uteri locum habere posse eo tempore, quo foetus jam vitalis dici meretur. Quid? Num tali conditione operatio indicata esse potuerit?

i.) R. Collins operationem proposuit ejusque casum commemorat in gravida, quae antea ruptura uteri la-

---

1) Gemeins. Zeitschrift f. Geburtsk. Bd. II. Heft 3. p. 546.

2) Frorieps Notizen. Bd. XVI p. 335.

3) Med. Annal. Bd. IV. p. 311.

4) Kilian, Operationslehre. p. 283.

Cazeaux, l. c. p. 407.

boraverat; eo nempe consilio ut, graviditate renovata, rupturae reditus evitaretur 1). Dubitamus vero, an, rebus sic se habentibus, institutio partus arte praematuri probanda sit.

k.) Fuerunt etiam, qui partum praematurum artificialem indicatum esse censerent in gravidis phthisicis, ad vitam infantis servandam.

In his d'Outrepont 2) monet, multum omnino prodesse in gravidis phthisi correptis, quibus fere minima aut certe nulla spes datur finem graviditatis attingendi, partum praematurum excitare tempore, quo foetus vitalis erit. Docent enim Pelletan, Metzger, P. Frank aliique non sperandum esse, fore ut infans servetur, etiamsi sectio caesarea statim post matris mortem instituitur; infans quandoquidem jam antea diem obierit 3).

l.) Fuerunt porro, qui ad vitam infantis servandam nostrae operationis indicationem haberent mortem foetus, temporibus determinatis graviditatis locum habentem, ideoque habitualement dictam.

In iis, qui hanc indicationem defenderent, primum locum occupat Denman. Bis ille tali in conditione partum arte praematurum excitavit, sine ullo matris periculo, infantis etiam vita servata. Attamen existunt hic tot tantique momenti scrupuli, qui partim supervacaneum, partim audacissimum hoc conamen esse testentur, ut admodum difficile sit, licet uterque casus

---

1) Collins, Pract. Treatise on Midwifery: p. 255.

2) Cf. Schippan, Ueber die künstl. Frühgeb. p. 149.

3) Kilian, Geburtslehre. Bd. II. Abth. 2. p. 553.

felici fuerit eventu, pretium hujus indicationis affirmare. Nos nisi haec dubia movere velimus: num constet in praesente etiam graviditate foetum moriturum esse? An prudenti vitae regundae consilio atque iis, quae sagax medicus facile praebuerit, lethalis foetus exitus impediri nullo modo possit?

Ulsamer 1) narrat feminam, quae jam quinquies octavo graviditatis mense infantes mortuos peperisset, identidem quatuordecim dies ante partum mortuos, mense vero sexto sextae graviditatis auxilium implorasse viri clarissimi d'Outrepont. Ille, ita pergit, causam mortis foetuum in graviditatibus antecedentibus salutavit debilitatem matris universalem et animi commotiones deprimentes, ortas ex vitae conditionibus sollicitudine plenis. Cura idonea, quiete, somno longiore reficiente, diaeta nutriente atque usu Corticis Peruviani fusci periodus praecedentis graviditatis foetui exitialis sine damno praeteriit, et femina tempore naturali infantem vivum, maturum et sanum in lucem edidit.

J. P. Horn 2) casum commemorat, in quo sexies foetus moriebatur intemperantia matris, sed septima durante graviditate vitae regimen severum praescribatur et mense decimo exeunte infans, optima gaudens valetudine, natus est.

Insuper huc in censum venit quaestio, an tempus, quo foetus moriturus sit, tam accurate praevideri possit, ita ut partus satis nec tamen nimis mature excitetur? Cui profecto nemo facile pro certo responderit.

---

1) De partu praemature. Wirceb. 1820. p. 57.

2) Bemerk. und. Erfahr. über einige Gegenstände d. pract. Geburtsh. Wien. 1826. p. 47.

Veruntamen indicatio haecce valere non poterit, nisi in iis gravidis, quarum in partibus praecedentibus causa infantis mortis non in foetu ipso quaerenda erat, sed in placenta morbosa, praemature marcescente, languente et soluta. At eo in casu si operatio instituitur ante placentae morbosam degenerationem, causa infantis mortis tollitur et fortasse spes est infantem servandi. Fortasse dico, nam placenta morbose affecta, foetus non optime nutritus erit, eoque difficilius erit ejus vitam protrahere 1).

m.) Ad matris vitam non exponendam, partum arte praematurum adhibere nonnulli voluerunt, quum pro certo constat foetum in utero esse mortuum, eo consilio, ut inanimatum foetum auferendo matrem liberent ab iis, quae foetum in putredinem transiturum aut jam putrefactum necesse sequantur 2).

Constat quidem, foetum graviditate durante ex una alterave causa mortuum matri multum praebere posse noxae; sed plerumque Natura abortum producit, aut, quod tamen rarissime accidit, foetus mortuus, in putredinem abiens, processu ulcerativo paulatim ex utero aufertur, quod si fit, matris tamen organismus semper magis minusve afficitur.

Si vera haberemus signa mortui foetus, operatio matri certe parum noceret, sed facile errare possumus, atque tum mortis infantis auctores dicendi. Quo facto, nostra operatio nullam attulisset utilitatem, ideoque revera reprobanda esset.

1) Cf. v. Eldik, Verloskundige verhandelingen. Amst. 1831. p. 265.

2) Reisinger, l. c. p. 235.



Quare tam dubia in re Naturae omnia sunt relinquenda.

n.) Postremo ut partus serotinus evitetur, partum praematurum artificialem praescribunt Mai, Ritgen, Carus 1). Ponebant enim foetum, justo diutius in utero morantem, magnitudinem, modum nimis excedentem, acquirere, et capitis praesertim dimensiones praetermodum grandiores fieri posse, ossificatione accedente suturarum et fonticulorum. Caput autem, ita loquuntur, compressibilitatis proprietatem amittet, atque fieri poterit, ut ne pelvim justo etiam ampliorem transeat.

Verum monemus mystico etiamnunc velamine partum serotinum esse abditum, iisque, qui de illo feruntur rumores, universe quidem parum fidei esse tribuendum 2).

Licet multi credant foetum diutius quam 280 dies in utero degere posse, quamquam res dubia, tamen fere semper, ubi partum serotinum adesse dicerent, infantem non majorem quam vulgo, sed contra minorem et infirmiore saepe invenerunt.

Nobis vero, quas enumeravimus indicationes, quaeque ex conditionibus matris foetusque morboſis, mortem minuantibus, duci solent, intuentibus, licet magna sit eruditorum auctoritas, tamen non videtur operationem semper illis in morbis esse instituendam. Graviter sic enim erraverit, qui v. c. crediderit propterea, quum Meissner eam adhibuerit in nephritide, etiam in omnibus aliis morbis inflammatoriis operationem nostram instituendam.

---

1) Kilian, Operationslehre. p. 282.

Naegele, l. c. Th. II. p. 194.

2) Cf. Reisinger, l. c. p. 239.

Hic igitur inprimis valet praeceptum, omnia pendere ab iis, quae singulis casibus propria dignoscantur, et tum solum ad operationem confugiendum, quum investigatione accurata et strenua certo edocti fuerimus partum arte praematurum unicum nobis restare remedium, unde bonum eventum sperare liceat. Qui tamen casus profecto numero multi non erunt.

## DE TEMPORE OPERANDI.

Operatio nostra ea periodo graviditatis instituenda est, qua foetus eo maturitatis pervenerit, ut a matre separatus vitam protrahere possit, neque majus omnino volumen acquisiverit, quam ut pelvim angustatam transire queat.

Veruntamen hac de re, gravissima jure quae dicitur, non consentiunt obstetricatores; qui dissensus inde omnino oritur, quod hic duae res maximi momenti in census venire debent, quarum prior posita est in pelvis coarctationis gradu, ratione habita dimensionum capitis infantis; altera vero spectat definitionem temporis, quo foetus uterum relinquens vitam protrahere possit.

Priusquam vero in disputatione pergimus, necesse est enumerare capitis diametros in posterioribus graviditatis periodis, ut comparari possint cum gradu angustationis pelvis, quem supra diximus partus praematuri provocationem postulare; quamobrem typis hic exprimendam curavimus, quam Ritgen confecit, tabulam, in qua indicatur diametri transversi capitis mensura postremis duodecim graviditatis hebdomadibus, ita ut primo intuitu

determinari possit, quam hebdomade operatio sit instituenda, pelvis conjugata bene observata 1).

T A B U L A.

FINIS HEBDOMADIS,	DIAMETER TRANSVERSUS CAPITIS TENET,	UNDE CONJUGATAE PELVIS MENSURA ESSE DEBET,
28	2" 3"	2" 6"
29	2" 4"	2" 7"
30	2" 5"	2" 8"
31	2" 6"	2" 9"
32	2" 7"	2" 10"
33	2" 8"	2" 11"
34	2" 9"	3"
35	2" 10"	3" 1"
36	2" 11"	3" 2"
37	3"	3" 3"
38	3" 2"	3" 6"
39	3" 4"	3" 9"
40	3" 6"	4"

Et profecto facillimum esse omnes difficultates vincere putaverit, qui ad designationes a Ritgen propositas animum adverterit.

Nos vero objicimus pelycometriam tam accurate non posse determinari, ut ne duarum vel trium linearum error supersit, et insuper capitis dimensiones non in omni infante easdem esse, quibus accedit, quod supra jam demonstravimus, admodum difficile esse definire, qua tandem versetur femina graviditatis hebdomade.

Ut nobis quidem videtur, multo magis attendendum est ad majorem minoremve infantis vitalitatem, quam-

1) Ritgen, l. c. p. 342 seq.

Deinde cf. Salomon in v. Wellenbergh's Verhand. l. c. p. 113.

obrem hic nonnullorum auctorum sententias commemorabimus.

Naegele docet, sub fine etiam mensis septimi functionem organorum respiratori et circulationi inservientium admodum debilem esse; impulsionem ad mammam sugendam deesse, infantisque vitam per paucas tantum horas protrahi posse. At, inquit, si octavo mense infantes nascuntur, conditionibus faustis et cura diligenti saepissime vitam servant 1).

Verum de his audiamus Valentin 2): »die Lebensfähigkeit des Fötus ausserhalb der Gebärmutter, welche mit dem siebenten Monate zu beginnen scheint, hängt nicht sowohl von ihnen, als vorzugsweise davon ab, ob die Lungen schon so weit entwickelt sind, dass sie eine selbstständige und genügende Luftathmung unterhalten können.»

Alberti, Teichmann, Hebenstreit, Berndt aliique tempus, quo infantes utero liberati vitam degere possunt, finem sexti mensis vel 180<sup>um</sup> ad 182<sup>um</sup> diem salutant; Bohn contra foetum, mense septimo et octavo graviditatis editum, nondum vitabilem declarat 3).

Inter quos medium tenent von Haller, Metzger, Grüner, Kopp et Mende, dicentes, foetus trigesima hebdomade graviditatis aptos esse ad vitam separatim agendam 4).

Quantum igitur fidei tribuendum sit narrationibus de infantibus, qui vigesima sexta 5) et vigesima quarta

1) Naegele, l. c. Th. I. p. 99.

2) Lehrb. d. Physiol. d. Mensch. Th. II. p. 875.

3) Meissner, Forschungen. Th. I. p. 212.

4) Meissner, ibid.

5) Bucholz, Beiträge. Bd. II. p. 104.

hebdomade 1), mense quarto et quinto 2) nati, plus minusve tempore vivi servati fuerunt, facile unusquisque pro se decreverit.

Verum ut ad rem redeamus, in eo omnes fere consentiunt, foetum ante solidos septem menses, paucis diebus additis, conceptum, satis esse adultum viresque ad vitam degendam necessarias possidere.

Quo longius igitur gravida progressa erit, quoque propius termino solito partus naturalis partus praematurus artificialis institutus, eo major spes erit, fore ut infans vivus nascatur ejusque vita servetur. Idcirco id nobis semper ob oculos esse oportet, quantum quidem pelvis angustatio, si quidem ob eam operationem instituimus, permiserit.

Quare facimus cum Kiliano 3) dicente, melius esse ante trigesimam primam vel secundam, atque post trigesimam sextam vel septimam hebdomadem operationem non adhibere. Idem vero addit: »admodum salutare est operationem instituere eo tempore, quo, femina non gravida, menstruatio locum habuisset.» Iis enim diebus major sanguinis ad uterum congestio aderit, quamobrem acilius contractiones oriuntur.

Insuper minime etiam negligenda est feminae animi conditio, quippe quae magnam exerceat vim ad operationis eventum.

Tandem restat obstetricatori diem et horam eligere, paucorum dierum discrimine parum efficiente.

Quod autem attinet ad indicationes, ex morborum matris conditionibus ductas, quas supra descripsimus, quan-

1) Kopp, Jahrb. Bd. III. p. 128.

2) Rodmann, Medic. and Surgic. Journal. 1815. n<sup>o</sup>. XI.

3) Kilian, Operationslehre. p. 286.

tum quidem illas indicationes habere licet, tempus operandi determinare non possumus, quum tales conditiones uno alterove die trium postremorum mensium graviditatis occurrere soleant; qua in re igitur certum quid praescribere valde est temerarium.

Tandem, quum rediens iterumque rediens foetus mors partus arte praematuri provocandi indicationem habuerimus, tum aliquot dies ante tempus, quo signa infantis mortis in graviditatibus praecedentibus obvenerint, dum fieri possit, operationem instituendam esse facile intelligitur.

## DE OPERATIONE PRAEPARANDA.

Operandi tempore constituto, qua in re supra jam diximus, pelvis angustatione nobis indicationem praebente, paucorum dierum discrimen parum facere, opus est gravidæ corpus idonea cura ad operationem praeparare.

Quemadmodum autem Natura naturali tempore non statim partum educit, sed processum ejus secundum regulas et jam multos ante dies incipit, sic etiam Artis consilium esse debet, ut Naturæ leges, quantum fieri possit ex rerum conditione, idonea praeparatione imitetur.

Eo consilio praescribunt feminae, ut quatuordecim dies, antequam operatio instituatur, balneis tepidis utatur, et hoc quidem alternis diebus, ita ut balneum postremum eo die adhibeatur, quo operari constitutum est. Atqui alii arbitrantur, balnea jam aliquot hebdomades ante adhibenda esse; nos vero propter vim debilitantem, quæ balneis propria esse solet, cum Kiliano eorum usum ad septimum vel octavum diem circumscribendum esse censemus 1).

Deinde pro temperamento, quo gaudeat gravida, et

1) Kilian, Operationslehre. p. 286.



vitae ratione venae sectio instituatur, aut cathartica administrentur; porro curam habeamus, ne errores diaetae femina committat; verbo, nil negligamus ex iis, quae ad majorem uteri activitatem excitandam facere queant.

John Barlow monuit, jam posterioribus graviditatis hebdomadibus remedium unum alterumve praescribere innoxium, quo ad diem usque operationis gravida utatur. Id autem ideo voluit, ut imperitorum animos deciperet, et praesertim minus eruditos eo deduceret, ut partum praematurum internorum remediorum usui effectum crederent; quo facto, ab omni hujusmodi conamine et experimento manus impiae facile sese absterent 1).

Jam vero genitalia et imprimis ostium et collum uteri relaxanda sunt et dilatanda, ut ad operationem subeundam apta reddantur; quod ut efficiatur, commendantur injectiones demulcentes, v. c. decoct. Althaeae, aliae.

d'Outrepoint proponit etiam infrictiones Unguenti Althaeae et Olei Hyoscyami ter de die.

Anteaquam ad operationem transeamus, curare debemus vesicam urinariam et intestinum rectum evacuari. Tum solum de cura stricte dicta therapeutica, praeparandi consilio instituenda, sermo esse potest, quum gravida in morbosa conditione versatur: quod si accidit, pro variis casibus varia cura adhibeatur, necesse est.

Ut parturiens bona sit animi conditione, multum omnino facere possumus, consolando non tantum spem magnam jam adesse, ut vivum infantem edat, verum sublevando etiam, addentes, vehementes illas, quae antea

---

1) v. Eldik, Verlosk. Verh. p. 302.

subire coacta erat, operationes nunc evitari, dummodo partum praematurum artificialem institui assentiatur.

Quantopere autem hac praeparandi cura indigeamus, docuit casus, ubi neglecta erat.

Nulla adhibita praeparatione, paracentesis velamentorum instituebatur. Duodecima hora post, dolores ad partum tam vehementes, irregulares et tumultuosi orti sunt, ut portio vaginalis, nullo modo praeparata et praeter modum magna, ab utero dilaceraretur, posteriore solummodo parte servata. Ne una quidem hora post partum molestissimum praeterlapsa, mater et infans jam decesserant 1).

1) Beiträge zur Geburtskunde von Franz A. Kiwisch Ritter von Rotterau. 1<sup>e</sup> Abth. Würzburg. 1846.

## DE METHODIS OPERANDI.

---

In partus arte praematuri operatione instituenda non solum diversae traduntur methodi, sed multa etiam excogitata sunt instrumenta, quorum haec majoris, illa vero minoris usus esse habentur.

Artis enim auxilium in partu praemature eliciendo consistit in eo, ut vis uteri contractiva praesertim excitetur tam continuo et valide, ut partus sola uteri actione perficiatur.

Haec vero ut producat, remedia commendantur et adhibentur, tam mechanice quam dynamicè agentia.

Quae vim revera mechanicam in uterum exercent, ejusque vitalitatem excitant, haec sunt: a) frictiones manu continuo institutae ad abdomen gravidae, atque incitatio ostii uterini apice digiti; b) membranarum ovi solutio in vicinitate ostii uteri interni expansione, quantum fieri potest, maxima; c) punctio velamentorum, et d) dilatatio artificialis et irritatio orificii uteri, ope corporum inductorum.

Ad methodum autem, quam dicimus dynamicam, pertinent remedia pharmaceutica.

Unde jam sequitur, membranas aut integras servari aut laedi.

d'Outrepont reputans, quantopere saepe friciones abdominis valeant ad vehementiores reddendos dolores ad partum justo debiliores, aut laborem ad partum fere extinctum excitandum, inde concludit has etiam adhiberi posse in partu praemature artificiali; quas quum in usum advocaverat, dolores ad partum excitabantur quidem, sed debiles et non continui, iique penitus aberant, frictione omissa 1).

At paucis omnino in casibus, et apud gravidas tantum valde erethicas, friciones balneis et emmenagogis conjunctae satis validos ad partum dolores excitaverant 2).

Incitatio ostii uteri ope digiti apicis, quae tamen, ne noceat, admodum prudenter institui debet, ad summum producit auctam mucii secretionem in genitali systemate, et ostium aliquantulum aperit; verum ut partum terminet, tantam profecto vim non possidet.

Hoc igitur remedium commendari nequit, aequae ac illud, quod consistit in solutione partiali ovi membranarum, in vicinitate ostii interni et colli uteri, quae methodus ab inventore Hamilton nomen duxit.

Illius autem operationis consilium ipsa experientia docuerat; ovum nempe non amplius in utero degere posse ejusque expulsionem sequi, ovi cum materno corpore conjunctione disrupta 3).

Operandi vero modus hic est. Gravidam feminam balneis aliisque praeparata, ostioque uteri arte dilatato, unus al-

---

1) d'Outrepont, Abhandl. und Beiträge geburtsh. Inhalts. Th. I. 1822. p. 1.

2) Naegele, l. c. Th. II. p. 197.

3) Hamilton, l. c. p. 155.

terve digitus manus dextrae vel sinistrae per ostium inducitur, et membranae ab uterino pariete, quantum fieri potest, abducuntur, magna adhibita cura ne quodam in loco dilacerentur; reliqua Naturae relinquuntur.

Monente Reisingero 1), Merriman jam ante Hamiltonem tali modo operationem instituit.

In Germania posteriori tempore Kluge 2), Mende 3) et Riecke 4) ejus periculum fecerunt, verum eventus parum satisfecerunt. Multum enim temporis solebat praeterlabi, anteaquam dolores ad partum existerent, et plerumque praeterea ad velamentorum rupturam accedendum erat. Imo aliquando post diem undevigesimum demum dolores incipiebant, operatione ter iterata 5).

Hamilton ipse dicit, nonnullis in casibus hebdomadem transiisse, antequam partus incipiebat, seque tum catheterem introduxisse uterum inter et deciduam, et deinde inducto filo argenteo membranas se rupisse 6).

Insuper haec methodus magnas praebet difficultates, nam etiamsi uteri ostium attigerimus, tamen admodum difficile erit attingere membranas, easque non dirumpere res est valde incerta et dubia. Et vero, si uteri orificio vicina jacet placenta, ejusque cum utero nexus membranis abducendis pro parte rumpitur, quod facile accidere potest, quis non videt inde haemorrhagiam magis minusve periculosam esse orituram.

---

1) Reisinger, l. c. p. 95.

2) Mende, Beobacht. Bd. III. p. 41.

3) Gem. deutsch. Zeitschr. Bd. VI. p. 507.

4) Kilian, Operationslehre. p. 297.

5) Kilian, *ibid.*

6) Hamilton, l. c. p. 157.

Quamvis autem Hamilton declarat, hanc methodum operandi pulcherrimos sibi effectus praebuisse, caeteri tamen, qui eam adhibuerunt, ejus usum penitus dissuadent.

Nostra quoque aetate minimi et fere nullius pretii habetur.

Majorem vero laudem duae aliae methodi sibi acquisiverunt, quamobrem eas, quam accuratissime possumus, sumus descripturi.

1°. de Paracentesi velamentorum ovi, vel punctione membranarum, methodo Scheelii.

Haec methodus nomen duxit a Scheelio inventore. Omnium, quae traduntur, vetustissima et diutissime cognita est. Constat quidem, quam experientia in omni casu graviditatis probavit, scilicet liquore amnii ad continuam effluxionem deducto dolores ad partum validiores post majus minusve temporis spatium certissime oriri, iisque partum terminari.

Operatio autem, quamquam jam aliis ante eum cognita fuerat et instituta, ad abortum nempe provocandum, Paulus Scheel tamen primus fuit, qui distincte eam describeret et modificaret, ita ut illi libenter debitos tribuamus honores, quippe qui primus ad partum praematurum artificialem instituendum eam adhibuerit 1).

Ad operationem paracenteseos membranarum, quae in uno alterove casu non semper parva cum opera, at

---

1) P. Scheel l. c. p. 74.

magno cum labore adhibetur, instituendam, quum ostium uteri saepe superiora versus et posteriora versus positum sit, et laesio quam accuratissime evitari debeat, multa instrumenta sunt inventa.

Primis temporibus Angli argenteo utebantur cathetere 1). Headly illius instrumenti curvaturam minorem reddit, et secundum Clarke tenerum et incurvatum esse debebat instrumentum, directionem sequens colli uterini. Davis laudat filum metallicum 10 poll. longum, crassum  $\frac{1}{12}$  poll., in apice paulisper incurvatum, manubrio ligneo praeditum 2 vel 3 poll. longo. Marshall specillo longo fortique usus est; Haighton stylo catheteris feminini; Ley catheteri elastico apicem abscindi jubet, ut, instrumento in uteri collum inducto, filum metallicum cathetere inclusum educi possit, membranasque perforet, quod, filo retracto, effluente liquore amnii per catheteris tubam, bono omnino cum eventu factum memorat 2).

At Wenzel omnium primus proprium, huic solummodo operationi aptum, instrumentum invenit, ejusque periculum fecit 3). Probe enim sciens, quantopere sit difficile membranas obtuso rotundo specillo perrumpere, curavit instrumentum conficiendum, tubulum tenerum argenteum, 10 poll. aut 11 poll. longum atque ad pelvis curvaturam incurvatum, quo in tubulo acus sicae formam referens esset recondita. Hoc autem Wenzelii instrumentum von Siebold 4) et d'Outrepont 5)

1) Reisinger, l. c. § 31 et § 32.

2) The London Medic. Review. 1800. III. p. 397.

3) Wenzel, Allg. geburtsh. Betracht. p. 150.

4) Journal f. Geburtsk. Bd. IV. St. 2. p. 271.

5) Abhandl. und Beiträge. p. 18.

emendaverunt. Ille tubulum  $\frac{1}{4}$  poll. longiorem reddidit, eique globulum in superiori parte imposuit, addito etiam praeter sicam filo metallico, quo facilius sine metulae-  
sionis induci posset. Eo modo ad membranas quum per-  
venisset, filum retrahebatur, sicaque inducebatur ad vela-  
menta rumpenda. d'Outrepont tamen instrumentum  
3 poll. longius faciendum curavit, curvaturam majorem  
effecit, et in superiore parte rotundum esse voluit.

Vrolik et Salomon instrumentis ei, quod descrip-  
simus, minus magisve similibus usi sunt.

Röderer 1), Ritgen 2) et Kluge 3) instrumen-  
tum invenerunt et descripserunt, quod *Stechsauger* vocant  
quo membranas primum ad ejus apicem adducerent, tum  
vero punctiorem instituerent. Instrumentum affigebatur  
siphoni uterino; deinde membranae adsugebantur. Illud  
vero instrumentum ejusmodi est, ut ostium uteri jam  
maxima pro parte dilatatum esse debeat, quod ni fiat,  
introduci nullo modo poterit. Verum orificio uteri jam  
ita aperto, ut instrumentum induci possit, hujusmodi  
complicata applicatione non opus est, atque ex pluri-  
morum sententia methodus simplicior potius instituen-  
da est.

Quidquid sit, optimum omnino nobis videtur ad ve-  
lamenta rumpenda instrumentum Wenzelii vel d'Ou-  
trepontii.

Tempore vero operationis indicato, hoc modo est  
operandum.

Vesica urinaria intestinoque recto evacuatis, femina

---

1) Zeitschrift f. Geburtsk. Bd. I. p. 282.

2) Zeitschrift f. Geburtsk. Bd. I. p. 283.

3) Zeitschrift f. Geburtsk. Bd. III. p. 63.



ea in positione posita, quae praescribitur in forcipis applicatione, index manus sinistrae, oleo illinitus, in vaginam mittatur ad uteri portionem vaginalem usque, quae deinceps accurate fixa teneatur. Tum manu dextra instrumentum calefactum beneque oleo aut axungia illinitum, acu sedulo retroducta, in vaginam et per uteri collum inducatur. Ne vero infans laedatur, non nimis instrumentum inmittendum est. Porro frictiones in fundo uteri instituantur, ut leniores excitentur dolores, utque membranae tensae fiant. Jam vero acus sicaeformis inducatur, donec perforationem locum habuisse suspicemur; quo facto, acus amoveatur, ita tamen ut tubulus, quo aquae effluent, locum servet.

Jam vero gravidae positio horizontalis in dorso aut in uno alterove latere erit assumenda, et doloribus relinquenda caetera, qui raro serius quam quadraginta octo horas post oriri solent. Carus vero dicit, in nonnullis casibus dolores ortos jam esse duas horas post operationem; quamquam vulgo 10—12, 20—24 hora post operationem observari incipiunt.

Liquore amnii justo citius effluente, femina pelvi elevata jacere debet. Sin tardius defluat et dolores non oriantur, feminae prodesse potest cubiculum obambulare. Ea autem in conditione frictiones etiam in fundo uteri institui, injectionesque in vaginam fieri possunt, quibus genitalia ad partum instantem praeparentur. Porro res Naturae relinquenda est, neque utendum quibusvis remediis, nisi quorum administrationem conditiones morbosae praescribunt.

Vidimus autem, secundum hanc methodum membranas perforari loco supra ostium uteri immediate sito, et citius tardiusve magnam quantitatem liquoris amnii effluere.

Praemature atque saepe nimis cito aquarum effluxu duae omnino oriri possunt noxae.

Liquore enim amnii effluente, statim uterus contrahitur, atque sic non solum ejus parenchymatis, sed etiam placentae sanguinis circulatio aliquantum impeditur, quare actio reciproca uterum inter et placentam, placentamque inter et foetum, nisi tota, certe magna pro parte diminuitur.

Altera vero, quam observamus, haec est: non raro subitaneus aquarum effluxus efficit, ut mater afficiatur febris paroxysmo, cum horripilationibus incipiente, quae infantis mortis causa esse potest. Illarum horripilationum, ut dicimus, origo posita videtur in subitanea liquoris evacuatione, quod idem etiam observatum est in evacuatione seri, paracentesi instituta in ascite.

Verum has noxas, quae ex perforatione membranarum directe supra ostium oriri solent, Meissner evitari credit, dummodo alius locus ad punctiorem instituendam eligatur 1).

Joseph Hopkins 2) jam antea catheterem octo pollices superius intra uterum et velamenta inmitti voluit, atque sic demum membranas perforari; quod ipsum etiam felici cum eventu instituisse ajunt 3).

Reisinger contra illud experimentum audax et periculi plenum declarat. Putat enim, specillum incurvatum ne paullulum quidem inter parietem uteri et membranas superiora versus induci posse sine perforatione, atque insuper, placenta si ibi jaceat, non laedi non posse, unde haemorrhagia vehemens oriatur necesse.

1) Meissner, in Heidelb. med. Annal. 1840. Bd. VI. p. 414.

2) Accoucheurs Vademecum. 4<sup>e</sup> Edit. Lond. 1814. p. 114.

3) Kilian, Operationslehre. p. 290.

Nihilominus vero Meissner dicit, se paracentesin tali modo etiam ad 10—12 poll. supra ostium ad fundum usque uteri saepius bono cum eventu instituisse. Alii 5 poll. tantum loquuntur 1).

Instrumentum, quo utebatur, tubulus est argenteus, Wenzelii instrumento similis. Crassitiem  $\frac{1}{8}$  poll., longitudinem 12 poll. habet, et curvaturam pelvis sequitur. Pars inferior hujus tubuli in latere convexo praedita est anulo argenteo vel metallico, qui partim ibi est positus, ut instrumentum melius fixum teneri possit, partim ut, instrumento inmisso per ostium uteri, melius ejus directionem in utero cognoscamus, atque sciamus utrum ovum aut uteri parietem versus apex inclinetur. Insuper huic instrumento addita sunt fila duo metallica, quorum alterum apicem habet rotundum, alterum tricripitem. Utriusque pars inferior manubrio praedita est non magno, quo facilius per tubulum seorsim et deorsim moveantur. Primum horum filamentorum 3 poll. tantum tubulo longius esse debet, neque aliud quid efficit, quam ut aperturam superiorem tubuli claudat, eumque inductum mutet in specillum obtusum, eo consilio, ne margo acutus tubuli parietes uteri colli mechanice irritet aut laedat.

Postquam per ostium tubulus pervenerit, alterum amoveatur filum, alterum vero,  $\frac{1}{2}$  poll. longius tubulo, inducatur. Hoc enim filo paracentesis institui debet.

Idem tamen Meissner alia quodammodo agendi ratione hanc methodum adhiberi voluit; ejusque praescripta, praemissa eadem, quam supra descripsimus, praeparatione, huc fere redeunt.

Gravida erectam positionem servante, obstetricator

1) Kilian, ibid.

in genu dextrum decumbat, ut in exploratione manuali. Quum tali modo ostium uteri attingi nequeat, femina in latere sellae considat. Hac autem positione nondum sufficiente, quod v. c. in abdomine admodum propenso fieri potest, parturiens in lecto imponatur, uno vel pluribus pulvinaribus pelvi substratis, ita ut summoveatur abdomen.

Jam obstetricator manus dextrae indicem, oleo vel axungia bene illinitum, uti in exploratione per vaginam, inducat et, quum ostium uteri attigerit, digiti apicem ad labium ejus posterius apponat. Tum vero instrumentum, filo obtuso oclusum, per superficiem volarem indicis inducti ope manus sinistrae inmittatur et per ostium transducatur. Simulac instrumentum, cujus latus convexum in excavationem ossis sacri porrectum esse debet, ostium transverit, intra posteriorem parietem ovi et uteri superiora versus moveatur, donec annulus in inferiore parte tubuli positus, qui semper ad anum spectare debet, pervenerit inter labia pudenda externa.

Ut vero instrumentum, in quod acus acuta sicaeformis jam est inducta, ita dirigatur, ut superior apertura velamenta versus spectet, annulus ad perinaeum vel anum moveatur inferiora versus; quo facto, inquirendum est, utrum membranae elasticae solae, an vero pars quaedam infantis praejaceat. Quum jam pro certo constiterit, tubuli aperturam anteriorem et superiorem membranas adjacere, prudenter instituenda est punctio. Deinde tubulus promoveatur, ita ut introducatur in aperturam. Jam amoveatur filum, tubulus maneat. Operatione feliciter peracta, statim liquor amnii effluere incipit.

Postquam verò circiter cochlear aquae effluxit, amovetur etiam tubulus, et parturientem obambulare ju-

bet Meissner, quo facto, liquoris effluxus vulgo terminatur.

Paucas post horas liquor iterum paullatim et guttatim effluere incipit, quo genitalia ad partum praeparantur. Ostium uteri paullatim aperitur et aquae etiam formari possunt.

Commoda, quae haec a Meissnero modificata methodus praebet, quibusque Scheelianam antecedit, consistunt in eo, quod liquor amnii maxima pro parte servetur, eoque guttatim effluente, genitalia relaxentur et fieri possit, ut formentur aquae, quod profecto optimis dilatatoriis locum sibi vindicat.

Objici tamen potest, admodum difficile esse intra parietem uteri et membranas transire, ita ut haec non jam ante dirumpantur, magnumque adesse periculum, ne acus acuta, praesertim in membranis laxioribus, non tensis, parenchyma uteri pungat laedatque; vel etiam, si placenta praevia sit, omni punctura, qualicumque modo instituta, vasa placentae perforari et ita haemorrhagiam infanti lethalem provocari posse.

Verum nos jam acturi sumus de ea methodo, in qua membranae intactae servantur, nempe:

2°. de artificiali incitatione et dilatatione uteri orificii, ope corporis inducti.

Haec methodus partus arte praematuri instituendi profecto est optima, atque tanta praebet commoda, quibus paracentesin velamentorum superat, ut hodie univarse ab omnibus collaudetur.

Artificialis vero ostii dilatatio jam ante Guille-

meau, Mauriceau et Dionis cognita fuit, sed ad partum praematurum instituendum eam primus proposuit Brünninghausen, primusque ejus experimentum fecit El. von Siebold 1).

Brünninghausen in epistola ad d'Outrepont scripta a. d. 9. m. Martii ann. 1820, quaestionem movet his fere verbis: »nonne haec res est magnopere optanda, ut partus arte praematurus provocetur sine »membris aperiendis, ut et infanti et matri liquor »amni salutaris servetur usque ad partum jamjam instantem.»

Quomodo ille hoc faciendum esse censuerit, accurate exposuit in ea, quam modo memoravimus, epistola 2).

Haec autem operandi methodus, praesertim a Klugio tam perfecta, ab omnibus est comprobata, quae digna censeatur, ut, ubique ubi fieri potest, aliis operationis instituendae methodis anteponatur.

Jubet Brünninghausen spongiam induci, per quam ostium uteri aperiatur et dilatetur; von Siebold, uti diximus, illius experimentum fecit. In duobus casibus 3) spongiam compressam, solutione Gummi Arabici praeparatam, unius fere lineae crassitiem habentem, in uteri ostium induxit, singulis diebus spongia bis renovata. Primo in casu post tres dies ostium ita erat dilatatum, ut distincte membranae attingi potuerint; altero in casu sequenti jam die facere hoc licuit. Dolores ad partum tamen non erant continui, sed

1) Kilian, Operationslehre. p. 291.

2) N. Zeitschr. f. Geburtsh. Bd. III. p. 326.

3) Journal f. Geburtsh. Bd. IV. St. 2. p. 267, et Bd. V. St. I. p. 25.

debiles, quamobrem von Siebold membranas perforavit, et partum hoc modo terminavit.

At Kluge feliciori eventu usus est; ejusque methodus, qua simul ostium dilatatur, membranarum solutio partialis perficitur, et incitatio continua levis segmenti uteri inferioris producitur, hoc modo instituitur 1).

Praeparandi modus plane idem est atque ille, quem supra laudavimus.

Vesica urinaria intestinoque recto evacuatis, gravidam in dorsum decumbere Kluge jubet, aut in sella obstetricia sedere, cruribus a se invicem amotis. Sed si tali in positione fieri nequit, ut spongia inducatur, portione uteri vaginali nimis ad unum alterumve latus, vel nimis anteriora aut posteriora versus posita, praestat gravidam in lecto jacere in genubus, capite et thorace tam declivibus, ut et haec fulcri munere fungi videantur. Fortasse etiam conducere potest, ut gravida erectam positionem servet, dorso suppellectili cuidam innixa, obstetricatore scamno decliviori insidente.

Jam vero Kluge spongiam ceratam adhibet, formam conum referentem, longam 2 ad 4 poll., superiori parte 2 lineas, inferiori 3 ad 6 lineas crassam, unguento simplici illinitam, inferiori parte filamento praeditam, ut facile deinceps retrahi possit.

Tum manus sinistrae indicem inmittit ad portionem vaginalem uteri usque, quam fixam tenet; quo facto, spongiam praeparatam instrumento, forcipis incurvatae polyposae formam habente, in ostium inducit, quam altissime potest. Ostio aperto, spongia per ostium intra membranas et uteri collum elevatur. Deinde spongia

---

1) Mende, Beobacht. und Bemerk. Bd. III. p. 43. sq.

vulgaris madefacta, magnitudine ovi auferri, item ligamento praedita, in vaginam inducitur, quae spongiam ceratam in positione manere cogat. Vulgaris tamen spongiae munus subire quoque potest linteum carptum convolutum, quo impleatur vagina. Quidquid est, hujus impletio nequaquam est omittenda, quippe quae spongiae, ostio inductae, reactiones admodum adjuvet.

In ostium maxima pro parte aut prorsus clausum valde est difficile spongiam inducere; quamobrem Busch 1) et Mende 2) instrumenta, quae *dilatatoria* vocantur, excogitarunt ad ostium dilatandum; verum, quum ad haec inducenda et aperienda semper vis quaedam seu minor seu major requiratur, taleque dilatatorium nunquam pressionem in omni parte aequalem efficiat, ostii uteri irritatio eaque dolorifica vix evitari potest, quae profecto quoad operationis decursum non innocua erit. Quum vero in feminis multiparis ostium uteri plerumque non prorsus sit clausum, hujusmodi dilatatoriis carere possumus; in primiparis enim, si unquam, profecto perquam raro operatio partus praematurae instituitur.

Rebus secundis et prosperis, saepe jam post 6, 8, 10 horas dolores ad partum apparent; quo facto, partus ex lege procedit. Sin hoc ita non obvenit, et v. c. post 12 horas dolorum actio nulla dignoscitur, prudenter spongia amoveatur ex ostio, et, demulcentibus injectionibus in vaginam factis, spongia major inducenda erit. Ne hoc quidem juvante, eodem modo pergendum est, donec dolores ad partum sese ostendant, quod in pau-

---

1) Gem. Zeitschrift f. Geburtsk. Bd. VI. p. 369. cum tabula adnexa.

2) Gem. Zeitschr. f. Geb. Bd. VI. p. 549.



cis omnino casibus post tres vel quatuor dies demum accidisse dicitur.

Dolores, quantum opus est, quum adsunt, Kluge spongias educit; nonnunquam adeo spongiam ceratam ipsis doloribus extrusam expertus est.

Kilian vero suadet dolores ad partum augere frictionibus, atque usu dosis minoris Boracis 1).

---

Anno 1842 Julius Victor Schöller 2) methodum publicavit, quae si sufficeret, methodum a Brüninghausen et Kluge propositam, multo simpliciorum redderet.

Consistit vero methodus partus praematuri provocandi in eo, ut sola vagina et quidem ejus pars superior linteo carpto convoluto firmiter impleatur.

Jam multos ante annos cognitum erat, impletione vaginae, quam adhibere solent in haemorrhagiis vehementibus et periculi plenis, ex placenta praevia ortis, dolores ad partum excitari posse; nemini vero in mentem venerat remedium hocce operationi nostrae applicare.

Schöller autem, quem dicimus, primus ita operandum esse censuit.

Femina in lecto horizontalem positionem servante, intestino recto vesicaque urinaria evacuatis, in vaginam inducantur globuli lintei carpti, quorum prior filo sit praeditus et bene oleo inunctus. Pluribus hujusmodi globulis, uno alterum insequente, ad vaginae partem

---

1) Operationslehre. p. 295.

2) Schöller, die künstl. Frühgeb. bewirkt durch den Tampon. Berlin, 1842.

superiorem usque, praesertim ejus laquear impleatur, nam non opus est, monente Schöllero, vaginam usque ad labia minora impleri.

Secundum eum mox dolores ad partum excitabuntur, quibus validioribus factis, globulos extrahere licet.

Ea autem agendi ratio semel aut bis de die iterari potest, ne acer mucus aut immundities conditiones excitent minus optandas.

Quo vero uteri augeatur activitas, ecbolicorum administrationem in usum vocari jubet.

In feminis vero erethicis linteum carptum Extracto Belladonnae vel Unguento Opiato illiniri suadet; in torpidis autem excitantia administrat.

In libello, cujus indicavimus titulum, Schöller casus narrat, in quibus partim methodum linteae carptae, partim spongiae secutus est. Duobus in casibus partus sequebatur post duos dies, uno in casu post tres dies; in his autem vaginam carpto linteo impleverat. Duobus in casibus, ubi spongiam marinam in miserat, partus demum post sex et novem dies terminatus erat.

Kilian contra non tam felici eventu linteae carptae in operatione usus est. Huic enim novum hoc remedium adhibenti evenit, ut non nisi post quatuor dierum elapsam spatium dolores excitarentur, attamen debiles et non continui. Impletionem quamvis reactio insequeretur; haec tamen non tam continua et valida erat, ut infans expelleretur: quamobrem ad methodum a Brünninghausen et Kluge inventam, confugiendum esse statuit 1).

1) Kilian, Operationslehre, p. 295 et 296.

Jam ante multos annos (1758) Walbaum 1) in casibus, ubi propter rigiditatem ostium uteri clausum maneret, proposuit dilatationem artificialem ope vesicae, quae alte in vaginam inducta paulatim aëre impleretur.

Alii posteriori tempore magis ad rem censebant vesicam liquido impleri, atque talimodo dilatationem ostii provocari.

Hunc quoque apparatus nonnulli adhibuerunt in partu arte praematurato, et quibusdam in casibus cum eventu. Quis vero primus fuerit, qui ita operationem instituerit, nos latet.

Interea Kilian hunc apparatus vocat: »einen ganz unbrauchbaren“ 2).

Novum deinde experimentum ad partus praematuri operationem a. 1846 communicavit Franz A. Kisch Ritter von Rotterau 3).

Consistit hoc in tepida Ducia (*Douche*) uterina adhibenda. Apparatus vero, quo continuus et magnus aquae fluxus ad ostium uteri ducitur, formatur cistella metallica, 10 poll. cub. volumen habente, quae aliquot pedes supra solum parieti est affixa et conjuncta cum tuba, quae ad cistellae fundum porrigitur. Pars inferior hujus tubae est elastica, siphunculo praedita, atque finitur in tubam elasticam acuminatam.

Hanc autem ad rem, inquit, adhiberi etiam potest apparatus, majoris tamen pretii, quem nomine »*Irrigateur uterin*“ invenit descripsitque Egusier 4).

1) *Levret*, Wahrnehmungen. etc. p. 416.

2) *Operationslehre*. p. 209.

3) *Beiträge*, l. c. p. 114. seq.

4) *Gazette des Hopit.* N<sup>o</sup>. 82. 1841.

Idem Kiwisch von Rotterau casum memoriae prodidit, in quo secundum hanc methodum ex indicatione pelvis angustatae partum praematurum provocavit.

A. d. 8 Februarii anni 1846 duciam primum adhibuit, ineunte trigesima quarta graviditatis hebdomade, in femina Magdalena Platz nominata, 46 annos nata, secunda vice gravida.

Temperatura aquae talis erat, ut feminae grata esset, atque per 4 minut. aquae flumen continuo adhibebatur. Septem post horas experimentum iteratum est aqua tepidiore.

A. d. 9 Febr. ducia rursus bis de die per 5 minut. instituebatur, et deinde dolores ad partum modici apparebant.

A. d. 10 Febr. quinta et ultima vice ducia adhibita est; ostium uteri fere apertum erat, et dolores continui sese ostendebant.

A. d. 11 Febr. partus terminatus est; infans mortuus natus est. Placenta normaliter secuta est. Febre puerperali, quae tum epidemice regnabat, femina mortua est.

Postquam Kiwisch von Rotterau novum hoc experimentum prodidit, nonnulli obstetricatores ipsius methodi periculum fecerunt, ita ut, ineunte mense Julio anni subsequentis, numerus partuum praematurorum tali modo institutorum, casu, quem supra descripsimus, addito, ad denarium usque auctus fuerit. Qui casus a Kiwisch von Rotterau accurate enarrantur, lectuque sunt dignissimi 1); quam ob causam hic sufficiat eorum tantum eventus enumerare.

1) Beiträge l. c. 2<sup>o</sup>. Abth. 1848. p. 2—13.

Praeter casum jam expositum, operatio septies instituta est, pelvis angustatione indicationem praebente. Quatuor matres salvae operationem subierunt; reliquarum vero duae feбри puerperali affixae convaluerunt, una mortua est. Duo infantes incolumes nati sunt et servati; quinque vel mortui editi vel paulo post mortui sunt. Semel versione semelque extractione opus fuit.

Uno in casu pertinax metritis operationem indicavit; tam matris quam infantis servata est vita.

Alio in casu propter herniam incarceratam partus praematurus institutus est. Mater mortua est peritonitide, intestini perforatione accensa. Infans post nonam horam obiit.

Affirmat quidem Kiwisch von Rotterau eventus matri et infanti non faustos fuisse, addit vero auguria pejora etiam. Operatio enim instituebatur, feбри puerperali epidemice regnante, et hernia incarcerata peritonitidem afferente lethalem. Quoad infantes, qui vivi nati, deinceps vero mortui sunt, curae inopia omnino hoc factum est.

Iis in casibus duciarum adhibitarum numerus 4—18 fuit. Partus terminabatur post 1<sup>um</sup>—7<sup>um</sup> diem. Temperatura aquae 28—34 grad. Reaum. fuit. Quo major temperatura, quoque diuturnior duciarum applicatio (12—15 minut.), eo citius effectus secuti sunt.

Attamen tempus docebit, utrum novum hoc remedium admittendum sit, an vero reprobandum.

Nuperrime (1847) Cohen, medicus Hamburgensis novam methodum prodidit 1).

1) N. Zeitschr. f. Geburtsk. Bd. XXI. p. 118.

Proposuit injectiones liquoris aquosi in inferiorem partem cavitatis uterinae, inter velamenta ovi et uteri parietem. Eo consilio utitur parvo siphone, praedito tubulo longo incurvato; quo tubulo, per ostium uteri 2<sup>a</sup> superiora versus secundum parietem uteri anteriorem inducto, liquor prudenter injicitur. Post sextam horam injectionem iterari jubet. In casu, quem communicavit, duae injectiones suffecerunt ad partum provocandum, eumque felici eventu terminatum scribit.

Nova tamen experimenta instituenda erunt, ut hujus methodi pretium pateat.

Kiwisch von Rotterau dubitat<sup>1</sup>, an semper sufficiat haec methodus, dicens: »ob dieses Mittel in andern Fällen eine ähnliche Wirkung haben werde, ist uns in der That nicht wahrscheinlich, da der bewirkte »Reiz zu unbedeutend und vorübergehend erscheint 1).»

Ut supra diximus, ad partum praematurum provocandum commendaverunt etiam remedia pharmaceutica, quae dynamica ratione uterum afficientia, validos dolores ad partum excitare possunt.

Si remedia, Naegeler inquit 2), pharmaceutica existerent, quibus dolores ad partum continui et regulares provocari possent, eorum administratione operatio ad partum arte praematurum instituendum simplicior redderetur. Sed remedia eo fine indicata, incerto effectu sunt, et facile noxas praebent tam matri quam infanti.

1) Beiträge. I. c. 2<sup>e</sup>. Abth. p. 25.

2) I. c. Th. II. p. 196.

Praesertim hoc judicandum de Secali Cornuto, quod administrari nonnulli voluerunt.

Bongiovanni dicitur primus fuisse, qui usum internum hujus remedii ad partum praematurum provocandum expertus fuerit, sed sine eventu 1).

d'Outrepont tamen et ceteri fere omnes usum Secalis Cornuti rejecerunt. Concedit hic quidem, eo partus laborem augeri et coeptum accelerari, verum hoc remedio dolores primitivos excitari, vehementer negat; quamobrem concludit ad partum praematurum provocandum nequaquam adhibendum esse 2).

Veruntamen in eo partu, in quo dolores aderant et partus jam inceperat, sed intermissione dolorum et uteri adynamia impeditus, interdum bono successu dari Secale Cornutum, sed solum in secundo vel tertio stadio, experientia docuit; tum vero semper diligentissime attendendum est ad parturientis constitutionem et habitum 3).

Quidquid est, nobis etiam videtur hoc remedium in partu praematurato valde esse improbandum.

Principiis enim narcoticis, quae continet, multum noxae affert matri, atque dyspepsiam, nauseam, vomitum, enterodyniam atque etiam gastro-enteritidem provocare creditur 4).

Porro in ea re major etiam dosis praescribenda erat,

---

1) Kilian, Operationslehre. p. 297.

2) d'Outrepont, in Gem. deutsch. Zeitsch. f. Geburtsk. Bd. II. p. 539.

3) Galama, Verhandeling over het Moederkoorn. Groning. 1834. p. 215.

4) d'Outrepont, l. c.

Sobernheim, Practische Arzneimittellehre. 4<sup>e</sup>. Aufl. Th. II. p. 50.

quod profecto tenero etiam infanti lethale. Jure igitur dicitur »pulvis ad partum, pulvis ad mortem 1).“

Verum in partu etiam normali *Secale Cornutum* facile occasionem praebet hyperstheniae uteri, ita ut hic quoque prudentissime est adhibendum.

Porro id remedium, minori etiam dosi datum, infanti perniciosum esse, doctorum auctoritate probatum legimus.

Contendit, ut ab hoc initium ducamus, Charles Hall 2), ex usu *Secalis Cornuti* infantes semper asphycticos nasci; circulationem funiculi umbilicalis ex parte impediri, corpus et extremitates coeruleas fieri putat. Imo casum memorat, in quo infans non solum mortuus et coeruleus natus est, sed cutis etiam toto corpore tecta fuit exanthemate bulloso, pemphigo simili, licet ante *Secalis* administrationem signa adhuc infantis vitae adfuissent. Similem quoque casum d'Outrepont retulit 3).

Kilian contra *Secale Cornutum* tum administrari jubet: quum actio tamponis est sustinenda et acceleranda, ostio uteri admodum indolente; porro, quum ostium uteri, obstinate clausum, est aperiendum; postremo, quum certissimus infantem esse mortuum 4).

Optimum igitur est tali tamque periculoso remedio abstinere, atque multo potius alio, v. c. *Borace*, utendum est, iis in casibus, in quibus dolores dormientes aut debiles validiores sunt reddendi. *Borax* enim dosi modica nullam noxam praebet et matri et infanti, et experientia docuit in plurimis casibus illum satisfacere 5).

1) Sobernheim, *ibid.*

2) d'Outrepont, l. c. p. 540.

3) d'Outrepont, *ibid.*

4) *Operationslehre* p. 293.

5) Cf. Snellen in *Geneesk. Bijdr.* l. c. 2<sup>e</sup> Dl. 2<sup>e</sup> St. p. 198.



Verum illud etiam atque etiam tenendum, nullum adhibendum remedium, nisi magna urgente necessitate.

---

Remediis dynamicis, quibus partum praematurum provocare voluerunt, etiam annumerari potest, quam proposuit *Sreiber*, electricitas galvanica 1).

*Hoeniger* et *Jacoby* eam adhibuisse narrant. Eo et bono quidem eventu. *Infans* vivus natus est et per 24 horas vitam servavit; curae inopia obiit. Tertio die post operationem mater mortua est ascite et ovarii dextri degeneratione, conditione morbosa, quae indicationem operationis praeberat 2).

Auctore *Sreiber*o magna hujus methodi sunt comoda, nec minima inde noxa tam matri quam infanti metuenda.

Verum, quum constet galvanicae electricitatis applicationem in arte obstetricia parum adhuc esse cognitam, vixque evitari posse, quin concussionem electricam ipsi etiam infanti communicentur, quae facile vitam ejus teneram sufflaminae vel convulsiones lethales infantis excitare possent, temerarium videtur experimentum.

---

Tandem accedimus ad quaestionem, quaenam ex iis, quas enumeravimus, methodis, reliquis sit anteponenda; cui tamen respondere non admodum est difficile.

---

*Sobernheim*, l. c. p. 363.

*Kilian*, l. c. p. 291.

1) *Sreiber*, Ueber den Galvanismus zur Erregung der künstl. Frühgeb. in *N. Zeitschr. f. Geb.* Bd. XIV. p. 57. et Bd. XIX. p. 399.

2) *N. Zeitschr. f. Geb.* Bd. XVI. p. 424.

Conveniunt enim omnes fere auctores in eo, methodum, a Kluge praescriptam, tam matri quam infanti rationem agendi innocuam continere, ideoque reliquas omnes longe superare.

Methodus enim haec lenis est, certa et efficax, eamque prae se fert virtutem, ut maxime Naturae legibus congruentem partum reddat. Uterus paullatim lenissimo modo, matri et infanti nullam noxam praebente artificio, ad praematuram foetus expulsionem praeparatur. Ostium uteri aperitur et leniter dilatatur; volamenta ovi uteri contractionibus in orificium impelluntur, nec prius rumpuntur sponte, quam dolores ad partum proprie sic dicti appareant. Hac porro ex methodo vita infantis multo minus periclitatur quam in paracentesi, qua circulatio sanguinis impediri potest pressione parietum uteri in placenta et in funiculo, nimio decurrente tempore ante partus terminationem.

In methodo Klugii liquor amnii paullatim effluit, quo fausta redditur genitalium praeparatio, et si forte alius operationis, v. c. versionis, indicationes appareant, quanto facilius erit eam instituere, liquore adhuc praesente, quam postquam jam effluxerit.

Quapropter tamen non plane est rejicienda paracentesis, nam casus dari potest, quo, reliquis omnibus postpositis, postulatur, nempe quum ostium uteri morbose affectum erit, v. c. scirrho, carcinomate, aliis. Sic enim artificialis dilatatio nimis irritaret ostium, et reactionem admodum nocivam in parenchyma uteri jamjam degeneratum exerceret.

Quod ad methodum a Schöllero commendatam, haec profecto, si semper effectus bonos praebuisset, omnibus esset anteponenda; sed vidimus Kilianum

non admodum felici eventu eam expertum esse. Hac igitur in re pro certo aliquid affirmare, magnae est temeritatis. At vero ideo non plane rejicienda videtur, quod, licet non sufficiat ad tantos dolores excitandos, quanti infantis expulsionem determinare possint, tamen excitet dolores, qui prosint ostio uteri dilatando; quamobrem feminis certe, quibus orificium parum adhuc aut nihil apertum est, vagina linteo carpto impleri potest, ut ostium dilatetur, quo facto, spongiae inductio secundum methodum Klugii facilius redditur.

Quae omnino nos persuadent utramque methodum conjunctim, unam alteram adjuvantem, pulchrum quid constituere in operatione partus praematuri instituenda.

TANTUM.

T H E S E S.

---

I.

Nec motui, nec sensui, nec intellectui corpus callosum cerebri inservit.

II.

Glandula Thyreoidea non solum ad nimium sanguinis impetum a corde in cerebrum derivandum, sed etiam haematosi inservire videtur.

III.

Attendendum est, num causa cordis affectionis hypertrophicae ex animi pathemate, num ex alia causa orta fuerit.

IV.

Curandi methodus, quam commendat Laennec, in cordis hypertrophia, minus laudanda videtur.

V.

Vix gravius peccant medici, quam ubi febribus nervosis curandis manum admoveant, ac quemadmodum alii sanguinis jactura intempestiva damnum irreparabile inferunt, sic alii stimulantia quaevis larga manu profundentes internum incendium augent. Pruis v. d. Hoeven.

VI.

Die Reaction in Fiebern hemmen zu wollen, wäre Unsinn und hiesse sich die Rettungsschiffe im Rücken verbrennen. Canstatt.

VII.

Certa diagnosis inter febrem intermittentem larvatum aplecticam et congestionem cerebralem transitoriam (*coup de sang*) ex uno paroxysmo haberi nequit.

VIII.

Distinctio inter splenitidem et physconiam lienis magnis saepe premitur difficultatibus.

IX.

In febris biliosae altero stadio caute mercandum cum catharticis.

X.

Male agunt, qui in omni hydropo remedia sic dicta diuretica commendant.

XI.

Phthisi succedens alvi profluvium, lethale.

Hippocrates.

XII.

Stadium inflammatorium pleuritidis non semper contraindicat paracentesin thoracis.

XIII.

In operatione hydroceles punctio et humoris stimulantis injectio, testiculo sano, reliquis operandi methodis est anteponenda.

XIV.

Operationes chirurgicae in ipso testiculi parenchymate institui possunt.

XV.

Ich halte diejenigen für unverschämte Charlatans, welche behaupten, dass sie das Quecksilber in allen Formen der Syphilis entbehren können.

Stromeyer.

XVI.

Ubi virus ab impura Venere corpori illatum est, prima indicatio jubet, ut destruat in ipso loco affecto, ne morbus topicus versetur in universalem.

XVII.

Usus Aetheris Sulphurici prae usu Superchlorureti Formyli praeferendus videtur.

XVIII.

Situs foetus in utero perversus non semper versionem postulat.

XIX.

Saepe sola auscultatio indicat partum esse terminandum.

XX.

Capuron partum praematurum artificialem perverse vocat:  
„un attentat commis envers les lois divines et humaines.”